



## Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

## Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.


Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

## Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>

ALT-









12. H 375.

127

**CONTROVERSIARVM  
IVRIS NATVRAE ET GENTIVM**

**EX HISTORIA GRAECA ILLUSTRATARVM  
SPECIMEN I**

**QVOD**

**IN INCLVTA ACADEMIA ALTORFINA  
P R A E S I D E**

**CHRISTIANO GOTTL. SCHVVARZIO**

**PHILOSOPH. MORALIS<sup>o</sup> ORATORIAE ET POESEOS PRO-  
FESSORE PVBLICO BENEFICIARIORVM NORICORVM  
INSPECTORE ET ORDINIS PHILOSOPHICI**

**H. T. DECANO**

**AD D. VI IDVVM MAL. A. R. S. MDCCXXI**

**IN CIRCVLO ACADEMICO**

**ALIORVM DISQVISIONI**

**EXPNIT**

**IOHANNES IOSEPHVS MVLNERVS  
NORIMBERGENSIS**

---

**TYPIS EXSCRIPSIT**

**IOD. GVIL. KOHLESIVS ACAD. TYPOGR.**



CONTROVERSIARVM IVRIS NATVRAE ET GEN-  
TIVM EX HISTORIA GRAEGA ILLVSTRA-  
TARVM  
SPECIMEN I.

PROOEMIUM.

**S**ed, quod Seneca, gravissimus ille  
Philosophus, in epistolis scripsit,  
longum iter est per praecepta,  
breve et efficax per exempla; hoc  
ipsum in ea potissimum disciplina va-  
let, qua honesti, iusti atque decori ra-  
tiones explicantur. Quo evidentius  
enim exempla rem repraesentant, quo  
efficacius persuadent, quodque altius inprimunt animo: hoc  
feliciter praecipue moralis doctrinae et iurisprudentiae na-  
turalis scita intelliguntur, si quis illa ad celebriora gentium  
magnorumque virorum facta accommodaverit. Sic enim  
ingenium habet, quo excitetur; et iudicium, quo acu-  
tur; et ipsum prudentiae studium, quo in dies augeatur pa-  
riter atque confirmetur. Sic etiam nos ipsi paullatim eo per-  
ducimur, ut legamus audiamusve nihil, nisi unde, quod  
imitemur vel vitemus, nobis capiamus, aut, quod inceptu  
excituque vel honestum vel turpe sit, cognoscamus. Super-  
vacaneum est, eorum numerum iam inire, qui hanc ipsam do-  
cendi viam laudabili conatu felicique successu antebac in-  
gressi



gressi fuerunt. Sciendi cupidis occurrit *Vir Clarissimus, Georgius Paschius*, in *Libro de variis modis moraliatradendi, capite quinto*. Sed praeter ceteros commendandum est institutum *Viri de re sacra atque literaria egregie meriti, Io. Franc. Buddei*, qui in *Selectis Iuris Naturae et Gentium perquam eruditum Conspectum huiusmodi illustrium Controversiarum ex historia Romana exhibuit*. *Ecquid igitur impediatur, quominus pari modo, quamvis impari opera, Iurisprudentiam naturalem insignioribus exemplis vel ex sacrarum literarum monumentis, vel ex historia aliarum quarumcunque gentium, eaque tum vetusta, tum recenti, illustrare conemur? Nobis autem visum est, primum per amplissima historiae Graecae spatia ire, et hinc inde ex singularibus rebus gestis occasionem capere de nonnullis iusti et aequi argumentis identidem disputandi. Quod consilium nostrum tanto minus improbatum iri confidimus; quanto maior huius Gentis gloria omni tempore extitit; ut quae fama, quae doctrina, quae plurimis artibus, quae etiam imperii et bellica laude una omnium maxime in universo terrarum orbe floruit, totque protulit praestantissimos rerum suarum scriptores, ut uberiores exemplorum copiam nobis facile suppeditare queant. Equidem ab initio constitueramus, in his ipsis argumentis disquirendis ordinem libri alicuius, quo Iurisprudentia naturalis ab aliis tradita est, sequi, aut quantum fieri possit, historiam rerum Graecarum per praecipua capita ab ultima origine repetere, & habita aliqua temporum ratione, quae istius gentis celebratissima facinora existimantur, velut ad iustitiae et aequitatis regulas exigere; verum haud pauca deinceps ab hoc proposito nos revocarunt. Neque minus tamen putamus, aliquando fieri posse, ut, quae imposterum, Deo favente, promiscue et prout quaelibet in manus venerint, proposituri sumus, alia ratione in ordinem quendam redigamus.*

PRI-

# PRIMA CONTROVERSA

## DE IVRE BELLĪ IN RES SACRAS, I.

**P**rimum exemplum, quod in controversiam vocare nobis nunc libet, suggerit Thucydides, eloquentissimus ille gravissimusque historicus. Hic enim, dum bellum conscripsit, quod inter se gesserunt Peloponnesii et Athenienses, inter alia, *Libro III*, commemoravit, Athenienses, duce Hippocrate, Boeotiam bello petiisse, et Delium templum occupatum, fossa undiquaque perducta valloque congesto, et exstructis turribus, communivisse; ex adverso Boeotos, incitante duce Pagonda, tanto alacriori animo hostibus obviam ivisse, proelioque cum iis decertasse; quanto spem certiozem cepissent, fore, ut ipse Deus sibi auxilio veniret, cuius templum hostes nefando scelere tenerent: ideoque eos, re bene gesta, superatisque hostibus, Delium templum, Apollini sacrum, repetiisse, atque adeo Athenienses iniustitiae ac impietatis accusasse, propterea quod templo sanctissimo non pepercerint, sed illud velut locum profanum occuparint, variisque munimentis circumseperint, nec minus aquam facram ceterasque res dedicatas in profanos usus converterint, atque alia fecerint, quae nisi in profanis locis fieri non solerent. Quam accusationem his verbis Graecis descripsit Thucydides, p. m. III.

Κῦρηξ Βοιωτὸς καταστὰς Ἰππὶ τὲς ἀθηναίους ἔλεγε τὰ ἑξῆς τῶν βοιωτῶν, ὅτι ἔ δικαίως δράσειαν ἑξοβαίνοντες τὰ νόμιμα τῶν ἐλλήνων. Πᾶσι γὰρ εἶναι καθ' ἑσθλὸν ἰόντας ἐπὶ τὴν ἀλλήλων ἱερῶν τῶν ἐνότων ἀπεχεσθαι. Ἀθηναίους δὲ Δήλιον τειχίσαντας ἐνοικῆν, καὶ ὅσα ἀνθρώποι ἐν βεβήλω δράσι, πάντα γίνεσθαι αὐτοῖσι. ὕδαρ τε, ὃ ἦν ἀψαυσον σφίσι, πλην πρὸς τὰ ἱερὰ χέρνιβι χρῆσθαι, ἀνασπᾶσαντας ὑδρένεσθαι. ὥστε ὑπὲρ τε τῆ θεῆ καὶ ἑαυτῶν, βοιωτὲς ἐπικαλυμένους τὲς ὁμωχέτας δαίμονας καὶ τὸν Ἀπόλλω, προαγορεύειν αὐτοῖς ἐκ τῆ ἱερῆ ἀπίοντας, ἀποφίρεσθαι τὰ σφῆτερα αὐτῶν.

A 3

II, Quae

Historia de Atheniensibus templum Delium occupantibus, idque cum aliis rebus sacris in profanos usus convertentibus.

## II.

Status controversiae generalis,

Quaeritur ergo, an Athenienses, dum templum Apollinis occuparunt, idque haud secus, ac alium quemvis locum, communiverunt, contra ius naturae et gentium egerint, eoque nomine a Boeotis merito fuerint accusati?

### III.

Fontes huius controversiae decidendae.

Fons I ducitur a natura rerum sacrarum.

Quae sint res sacrae?

Ad hanc accusationem quamvis ipsi Athenienses apud Thucydidem apte prudenterque responderint; ad nostrum tamen institutum pertinet, fontes huius controversiae paullo accuratius inquirere, et iis argumentis, quibus Athenienses ausus suos defenderunt, nova quaedam adiicere. Neque vero haec ipsa controversia commodius poterit diiudicari, quam si rationes tum a natura rerum sacrarum, tum a vi et obligatione religionis, tum a iure victoriae, tum denique a differentia iusti, liciti, decori et utilis, deducantur. Primum, quod ad res sacras attinet, eae sic appellantur, quae rite sunt consecratae cultuique divino dedicatae: cuiusmodi sunt templa aliaque loca religionis et pietatis operibus exercendis destinata, item vasa, et reliqua sacrarum aedium ornamenta. Ab his nonnulli plerumque distinguunt *res Ecclesiasticas* atque *religiosas*. Illas vocant res, quibus homines *Ecclesiastici* aluntur, aut quae quomodocunque in religionem et sacrorum cultum impenduntur; has dicunt sepulcra et monumenta mortuis statuta: quanquam Io. Adamus Osiander, *in Observ. ad Grotium de I. B. et P. p. 1432.*, monuerit, sepulcra *αὐτάς*, et ex antiqua superstitione, religiosa nuncupari. Sed si rerum sacrarum naturam cognoveris, haud difficile fuerit, de reliquis etiam iudicium ferre: unde et nos plerumque res sacras atque *Ecclesiasticas* eodem nomine complectimur.

### III.

An eae sint publicae?

Hae vero res sacrae, recte monente Gronovio, *in not. ad Grot. de I. B. et P. L. III, c. 5.* quamvis secernantur a commercio et promiscua privatorum possessione; nihilominus tamen ratione summi domini habentur et curantur in iis, quae sunt universitatis et populi cuiusque; nec alia illorum est natura, quam reliquarum rerum, qua-

quarum summum dominium ad civitatem pertinet. Imo, quod ipse Grotius, l. c. ait, *quaecunque sacra dicuntur, revera non eripiuntur humanis usibus, sed publica sunt.* Etenim manifestum est, posse rem certis usibus destinari, cuius tamen dominium maneat vel penes destinantem, vel ad quem illa ceteroquin iure referretur. Iam autem, quodcunque Ecclesiae dedicatur, illud dedicatur, vel ex munificentia ipsius reipublicae Principumque, vel ex liberali singulorum civium pietate. Si Respublica, aut Principes qui Rempublicam repraesentant, Ecclesiae, quae sub ipsorum imperio est, loca certa aut alia quaecunque bona donaverint, censentur illi quidem bona ista a vulgari usu exemisse, supremum tamen illud ius, quod ad consequendam publicam felicitatem ordinatum est, sibi salvum integrumque retinuisse. Cum enim ipse omnis *Clerus* summo imperio subsit, (quod Henricus Henriganes, in *L. de summa Imperatoris Romani potestate circa sacra c. IX.* copiosius probavit) quis accessiones personarum, res scilicet, quibus ex legum praescripto uti personas decet, temere excipiat? Sin cives certa bona donaverint Ecclesiae, destinarintque cultui divino; illi suo quidem iure privato, quod antehac in huiusmodi res habuerunt, tunc sese abdicant; nihil tamen derogare valent summo iuri reipublicae; nec plus facultatis alio transferre possunt, quam ipsi habuerunt; h. e. per suam donationem atque destinationem neutiquam extinguunt dominium illud eminens, quod antehac reipublicae in res singulorum vindicabatur. Hinc forte evenit, ut apud Hebraeos templa cum primis non nisi publica auctoritate consecrare licuerit. Idem statutum fuit apud Athenienses, referente Harpocrate in *ἐπιθέτης ἐορτάς*. Et, teste Cicerone, in *oratione pro domo sua*, ex populi Romani legibus haud permissum fuit Pontifici locum consecrare absque auctoritate patrum, iussuque plebis. A quo instituto nec recesserunt Caesares, qui ad publici loci dedicationem suam auctoritatem suamque auspiciam expectari voluerunt. Statuit enim Ulpianus, *Lib. 1 Digest. tit. VIII. de divisione rerum, lege IX,*  
locum

locum publicum tunc sacrum fieri posse, cum Princeps eum dedicavit, vel dedicandi dedit potestatem. Quodsi etiam ponamus, Rempublicam universam *Ecclesie* in sua ditione florenti quaedam loca atque bona ita dedicasse, ut simul omnia domini eminentis iura illi tribuerit (quod vero commode intelligi nequit:) ipse tamen *Ecclesia* foret, urgente necessitate, sponte isto iure cedere. Tantum enim abest, ut vera *Ecclesia* salutem reipublicae impediatur, ut potius, quantum in se est, eam adiuvet.

V.

An solius  
DEI Do-  
minio subie-  
ctae?

Neque vero existimandum est, quod dominium et proprietates rerum sacrarum tum a singulis civibus, cum ab universa reipublica, per consecrationem peculiariter transeat ad DEVM, ita ut eae non amplius censeantur in bonis humani generis. Equidem Osiander, Theologus insignis, in *Commentario ad Hug. Grotii libros de I. B. et P. p. 1418*, tradidit, per istam consecrationem ius quoddam quasi quaesitum DEO nasci in res sacras, ita ut iuribus humanis sint exemptae, nec ullus hominum, nisi sacrilegii reus, eas violari possit. Ac nescio, annon legum civilium conditores eadem opinione ducti res alias divini iuris, alias humani iuris, atque illas in nullius bonis esse dixerint, adeoque rebus humanis, quae in alicuius bonis sunt, opposuerint? *Lib. I. Digestor. de Rerum divisione, Leg. 1. et 6.* Verum, quod Kulpisius aliique recte docent, DEVS iam aequali iure omnium rerum summus est Dominus, nec maius ius eo, quod iam in res huius mundi habet, ipsi acquiri potest: qui licet aliquam rerum proprietatem hominibus indulserit, non tamen nisi eam sibi subiectam et a suo supremo regimine circumscriptam indulset. Imo, si res consecrantur, eae improprie tantum et per tropum DEO offerri donarique dicuntur, cum proprie ad *Ecclesiam* transferantur, ut haec eo commodius cultu divino defungatur. Neque argumenta, quibus Summe Reverendus IAEGERSVS, in *Observationibus ad Grotium, L. III, c. 5. Observ. 2*, Osiandri, soceri sui, sententiam tueri voluit, satis valida videntur. *Stante ista*

*ista opinione, inquit, Deum aequali iure omnium rerum Dominum esse, sequeretur, ut vel plane non detur sacrilegium, vel ut furtum omne sit sacrilegium. Nam, si aequale ius Deus habet in res omnes, ergo aequale quoque est delictum, si quis res eas auferat. Verum, quis nescit, dari diversos furti gradus, adeoque diversas furum poenas? quae poenae non ex vario DEI iure, sed ex constitutione politica, pro rerum ablatarum aliarumque caussarum diversa ratione, varie definiuntur. Sic gravius delinquere censentur, qui publica, quam qui privata bona, fraude doloque rapiunt. Vnde et diversa huius delicti nomina nata sunt; exempli gratia, furti domestici, repetundarum, peculatus, sacrilegii, et si qua sunt de genere eodem. Imo inter illos ipsos, qui sacra violant, certi gradus dantur. Pertinet huc, quod Paullus ait, *Leg. 9. §. I. Digest. ad Legem Iuliam peculatus: Sunt sacrilegi, qui publica sacra compilaverunt; at, qui privata sacra, vel aediculas incustoditas temptaverit, amplius, quam fures; minus, quam sacrilegi, merentur.* Sacrilegos vero furibus accensos esse, testatur Isidorus, *Lib. V Orig. Sacrilegium*, inquit, *proprie est sacrarum rerum furtum.* Aliud crimen est sacrilegium, si notat divinæ Maiestatis profanationem; quemadmodum hac ratione Ovidius, *Metamorph. III*, sacrilegum dixit Lycurgum ob contempta Bacchi sacra. Equidem pergit IAEGERVS, asseritque, *licet Deus habeat ius in omnia ex se aequale; ipsum tamen inaequalitatem constituisse.* At enim vero, si Deus demum certa lege constituerit *inaequalitatem* sui iuris in res humanas, ea lex foret *iuris positivi*, quemadmodum non nulli loquuntur; neque ex lumine naturae cognosci posset atque diiudicari: cuiusmodi lex si universum genus humanum perpetuo obligaret, aliunde ostendi debebat. Quæ idem Scriptor Celeberr. de *primitiis frugum*, de *primogenitis* atque *decimis*, ex scriptura sacra profert; spectant ad legem *caeremonialem* antiqui Foederis, et ad officia *typica* Messiae in mundum venturo praestanda; cuiusmodi legum caeremonialium qualis hodie vis sit, nemo nescit. Quamvis vero laudatissimus IAEGERVS ex*

*Iure Canonico* simul doceat, bona sacra dici *possessiones Domini ac patrimonium Christi*; constat tamen, hanc appellationem vel *tropicam* atque impropriam esse, vel *hypothesi* plane falsa niti. Quod vero ille Kulpisio, ICTo Celeberrimo et quondam moderatori VVurtembergici Aerarii Ecclesiastici bene merito, obiicit, hunc pessime acturum fuisse, si statuerit, redditus *Ecclesiasticos* non maiore iure pertinere ad DEI cultum, quam redditus *Cameræ politicae*: id quidem facile concesserimus; neque tamen existimamus, Kulpisio huiusmodi sententiam ex ipsius argumentis recte affingi posse, cum inter ipsas res iuris publici gradus diversi facile admittantur, cumque nondum probatum sit, propter istum usum nobiliorem res sacras numero publicarum rerum, aut certe supremo Principis Dominio, prorsus eximi debere. Nec postremo eidem Auctori inviti largimur, æquum et decorum esse, ut non, nisi gravioribus de causis et urgente necessitate, sacra exaugurentur; haud tamen agnoscimus, id fieri propterea, quod bona talia peculiari ratione sint DEI; sed quod illa inter reliqua huius mundi bona, ratione usus & finis, haud immerito pro nobilioribus habeantur.

## VI.

*An res sacrae intrinseca sanctitate sint præditæ?*

Adhaec, quamvis homines nonnulli persuasi sint, & nominatim Pontificiae religioni addicti, teste Bellarmino, *L. 3. de cultu Sanctorum*, opinentur, per caeremoniam consecrationis nova virtute quadam templa instrui solere; attamen neque ex ratione, neque ex diviniore literis, demonstrari potest, per consecrationem istis rebus eiusmodi virtutem ac qualitatem intrinsecam afferri, qua imperantis dominio supremo et necessario reipublicae usui eximi debeant. Est enim talis consecratio ex libero hominum instituto; unde non divinus quidam, sed humanus saltem effectus sequi queat. Imo in coetu emendatae religionis, reiecta illa superstitiosa quorundam consecratione, hodie nova templa non nisi solenni concione habita, piisque votis nuncupatis, dedicantur; unde certe nulla istis locis nova sanctimonia accedit. Constat enim, etiam sine isto consecrationis aut dedicatio-

cationis ritu , solo usu res sacras fieri posse. Cumque adeo res sacrae potissimum a fine atque usu sic dicantur, non autem propterea, quod natura sua prae aliis sanctae divinaeque sint : omnis sanctitas illa, quae quomodocunque eiusmodi rebus consecratis tribui potest, nec nisi *relativa* est, cessante isto usu atque fine, cessare simul incipit. Nullam vero sanctitatem internam templis competere, pluribus ostendit Martinus Schookius, *in Libro de Bonis Ecclesiasticis, p. 101.* Ceterum hoc ipso templis nolumus politicam denegare sanctitatem, quae aliis quibusdam locis a Iure consultis, *Digest, L. 1. Tit. VIII. L. 9,* tribuitur; qui ea vocant sancta, quae publica et inviolabilia, atque sanctione quadam confirmata sunt, nullique fas est, eadem temerare.

## V I I.

Postquam ex his, quae hucusque exposuimus, satis intelligi posse arbitramur, quae sit natura rerum sacrarum, inprimis ratione usus et dominii supremi; nunc lubet paucis dispicere, ad quidnam ipsa religio, seu colendi DEI ratio naturalis, in aestimandis usurpandisque rebus sacris, nos obligare videatur? Hic quidem nolumus omnem vim religionis naturalis explicare. Certe unusquisque suae conscientiae testimonio, quod ab ipso Divo Paulo, *Rom. I, 19,* comprobatur, intelligere potest, rationem etiam sine caelesti eoque peculiari lumine cognoscere posse, DEVM illum, supremum rerum Parentem, religiose colendum esse. Nostra sane infirmitas, summi Numinis Maiestas et infinita perfectio, itemque poenae impiorum gravissimae, satis hoc declarant. Imo pessimus quisque homo id saltem non potest non nobis dare, longe tutius esse, si DEVS colatur, quam si cultus eius plane negligatur. Quemadmodum vero, quicumque DEI Maiestatem, sapientiam atque bonitatem noverit, facile concesserit, cum interna maxime animi pietate, hoc est, amore, honore, et timore venerandum esse : ita sunt nonnulli, qui ambigant, an ex ratione sibi relicta sciri queat, Deum externo quoque cultu esse prosequendum, ita ut interni actus obedientiae, honoris amoris-

II. fons argumentor. ducitur ex obligatione religionis.

Haec vult, ut Deum colamus.

Deum externo cultu prosequendum esse, ius naturae doct.



que adversus DEVM extrinsecus certis signis declarentur, et alii etiam, in quibus nullum religionis sensum deprehendimus, ad colendum DEVM exemplo nostro forte excitentur? Equidem nolim cum Viro celeberrimo, Chr. Thomasio, in *Iurisprudencia divina* L. II, c. 1, et in *Introductione Germanica ad Ethicam*, c. III, 37, negare, neficiri a ratione humana, DEVM ullum sui cultum externum ab hominibus exigere. Partim enim in ipso DEO, partim in nobismet, partim in aliis hominibus et in societate humana, non nihil ope luminis naturae reperimus, quod maxime respectu vitae socialis non modo comprobet et suadeat, sed etiam iniungat aliquam saltem generalem DEI externo cultu venerandi rationem, quae potissimum celebratione maiestatis et bonitatis divinae, precibus, sanctitate iuris iurandi, et propagatione cultus divini, sive eiusmodi actionibus externis, quibus commode exprimatur interna pietas, contineatur. Primum quidem, quamvis in natura DEI non illico tale quid omnibus occurrere videatur, quod cultus externi necessitatem exigat; sufficit tamen, quod ipse VIR Consultissimus fatetur, agnosci sciri que a ratione, Deum dignissimum esse, qui ab hominibus colatur; quin et iustissimum esse, ut homo DEVM interne colat, si DEVS talem exigat cultum: nam huiusmodi dignitatis et *aptitudinis* consideratio, sicut alias in doctrina morum, et maxime in exigendis officiis nostris, magnum momentum habet; ita illud et hoc loco admitti fas est; cum ipsius interni cultus divini necessitas, quae hucusque conceditur, inde etiam comprobetur. Adhaec DEVS eo ipso cultum externum voluisse intelligitur, dum per lumen naturae eo cultu dignissimum sese nobis patefecit. Alia et fortasse nonnullis evidentiora argumenta cultus istius cognoscendi in nobis ipsis aliisque hominibus occurrunt: nam DEVS etiam per creaturarum naturam conditionemque aliquando suam nobis voluntatem non obscure ostendit. In nobis deprehendimus non animum solum, quo DEVM creatorem veneremur; sed corpus etiam, quod DEO aequae totum debeamus. Deprehendimus porro, illo ipso corpore nostro praestari

*Argum.* 1.

*Argum.* 2.

stari posse non nulla, quae ad amplificandam DEI laudem, et ad excitandam fovendamque ac testandam animi nostri internam pietatem apprime faciant; quas actiones pariter ac animae actiones religiosas DEO debemus. Namque in hoc praecipue cultus divini ratio sita est, ut iis omnibus, quae Deus nobis dedit, recte et in honorem Dei utamur. Quamvis haud inficiemur, tanto praestantiorum internum cultum esse externo, quanto praestantior anima est corpore, ideoque, quoniam DEVS internos animi motus novit, nunquam externum cultum ab interno sciungi debere. Internus quidem cultus constare potest aliquando sine externo; sed externus non sine interno debet esse; haud secus, ac anima quidem vivere posse intelligitur sine corpore, nunquam corpus sine anima. Quemadmodum vero ratio nostra satis intelligit, DEVM nolle offendi externis iisque impiis hominum actionibus; ita eadem intelligere potest, DEVM velle externis, iisque bonis et internae pietati convenientibus actionibus ab hominibus coli. Nunc autem, quid internae pietati convenientius, quam DEVM ore celebrare, precari, et alia huiusmodi facere? Sed etiam in aliis hominibus et in societatis humanae natura deprehendimus, quod cultum DEI externum iniungat. *Argum. 3.* Dantur homines rudes, languidi in colendo DEO, imo fere omni religionis sensu destituti: hi pro re nata sunt instituendi, aut saltem praevio exemplo nostro ad venerandum DEVM instigandi. Imo conditio societatis humanae manifeste cultum DEI externum postulat. Hoc certum est, sine omni religione societatem tranquillam consistere non posse: religio enim optimum est vinculum, quo uniantur animi hominum, et firmissimum fundamentum, quo salus publica nitatur: iam autem per externum DEI cultum ad internam pietatem homines excitantur atque perducuntur, sive, externo cultu religio in societate humana conservatur: quanquam non affirmemus, religionis primum finem et normam aliquam esse utilitatem publicam; cum potius utilitas illa ad religionem, velut ad normam, exigi debeat. *Argum. 4.* Accedit denique unanimis tot gentium

consensus, quae aliquem DEI cultum externum necessarium esse agnoverunt. Qui consensus, quamvis per se non probet, aliquid esse iuris naturae; tamen si cetera amice conspirent, haud leve pondus simul confert. Impugnat quidem Vir Consultissimus hanc sententiam; sed cuius rationes, si quid probant, id saltem innuunt, cultum DEI internum externo nobiliorem a ratione agnosci, et illum aliquando sine hoc esse, quod nec nos negamus; neutiquam vero confirmant, plane a ratione nesciri cultum DEI externum, et nunquam opus esse iudicari. Ait autem, Rationem sibi relictam existimare, DEVM non indigere cultu illo exteriori hominum; superfluas esse externas laudes, preces, gratiarum actionem; cum DEVS iam internos animi motus intueatur; adhaec, nullum nexum esse cultus externi cum societate humana, utpote cuius felicitas etiam, omisso hoc cultu, constare possit; hominis mentem tranquillam esse posse sine illo cultu externo; rationem sibi relictam non cognoscere beatitudinem Dei aeternam; quomodo igitur possit ad cultus huius, tanquam medii, cognitionem penetrare? At enimvero, cum Vir Celeberrimus, prout par est, admittat, cultus Dei interni necessitatem ex lumine naturae cognosci demonstrarique posse; non videmus, siquidem ista eius argumentandi ratio recte procedat, quomodo sibi ipsi non contradixisse, nec omnem plane religionem ex ratione cognoscendam sustulisse videatur? Etenim eadem fortasse ratione dici posset, etiam interno animi honore, laude, et reliquo cultu interno nihil accedere Deo, ipsumque iam sine illo beatissimum esse: non solum preces nostras externas superfluas esse, quia Deus iam scrutetur mentes hominum; sed etiam internas, quia Deus etiam absque desiderio nostro noverit, quae nobis necessaria sint, et quae salutaria; hominis animum fortasse aequè tranquillum esse posse, si de Deo venerando non sollicitus esse, nec eius poenam metuere debeat; cumque a ratione non agnoscat aeterna beatitudo, non solum non externum, sed nec internum Dei cultum, tanquam *medium*, agnosci posse? Vah, sic  
tan-

tandem omnis corrueret religio ex natura et ratione cognoscenda! Quod si vero Vir Nobilissimus nolit, (nolle autem se eximie profiteretur,) his suis argumentationibus adversus cultum Dei externum, propositis, simul internum everti, adeoque nec contra divinae scripturae testimonia omnem religionem naturalem labefactari; tunc, qua ratione cultus interni necessitatem contra haec sua ipsius dubia tuebitur, eadem fere ratione contra illa dubia cultus externi necessitatem ex lumine naturae cognoscendam defendemus. Nolumus autem in praesenti distinctius explicare ista dubia, quae ab ipsis Philosophis dudum sunt excussa. Interim illud subit mirari, cur etiam negetur, dari nexum inter cultum Dei externum et societatem humanam, hancque felicem sine illo persistere posse. Etenim; cum foveatur maxime et conservetur in societate humana per cultum Dei externum internus; quis non videt, sublato omni cultu externo, etiam internum labefactatum, adeoque omnem religionem, quae certissimum publicae felicitatis fundamentum habetur, ex societate humana tandem sublatum iri? Quid enim, si quis cum Lockio aliisque statuatur, quod statuit ipse Vir Consultissimus, in Iurisprudencia divina, *L. 1, c. 2, §. 6*, nullas dari *ideas insitas*, nulla principia innata; unde, quaeso, homines discant interne recte sentire de Deo, eundemque venerari, nisi illi per externum aliorum cultum eo perducantur? An vero Vir Celeberrimus existimat, propagationem doctrinae de Deo, celebrationem Maiestatibus bonitatisque divinae, iura iuranda, aliosque huiusmodi actus, non pertinere ad cultum Dei externum?

### VIII.

Digressi aliquantisper, nunc ad ea, quae instituto nostro propiora sunt, redimus. Nimirum, quamvis Ratio intelligat, Deum etiam aliquo externo cultu venerandum esse; veruntamen illa ipsa Ratio id tamen per se sentiet, Deum etiam sine templo et sine dedicatis ornamentis adorari posse, neque ipsius cultum cer.

*An templa ad cultum divinum sint necessaria?*

aertis tantum locis alligatum esse. Hinc nec omnibus Gentibus  
 templa fuisse reperimus. Persae, Scythae, Numidae, alique,  
 quamvis coluerint Numina, neque fana, neque statuas, neque  
 simulacra Deorum habuisse leguntur. Ipsi primi Christiani per  
 duo fere saecula templis arisque caruisse perhibentur; a quibus  
 tamen Deum vere cultum fuisse, nemo negaverit. Ac, quam-  
 vis fuerint inter paganos, qui crediderint, templa ad cultum  
 divinum requiri, eademque peculiari ratione a Diis suis inside-  
 ri: nihilominus tamen persuasi quoque erant, expugnatis ur-  
 bibus, altaria atque templa a Diis deferri, adeoque sacra esse desi-  
 nere. Quod quo certius fieret, Romani cum primis, teste Servio,  
*ad Virgil. 2. Aeneid. v. 351*, carmine solemniter ex obsessis a se urbi-  
 bus Deos evocabant, et Romae illis aedem cultumve polliceban-  
 tur. Cuiusmodi evocandi formulam memoriae prodidit Macro-  
 bius, *Lib. III Saturnal. c. 10.* *Si DEUS, si Dea est, cui populus ci-  
 vitasque Carthaginensis est in tutela, teque maxime ille, qui urbis  
 huius populi que tutelam recepisti, precor venerorque, veniamque a  
 vobis peto, ut vos populum, civitatem Carthaginensem, deseratis;  
 loca, templa, sacra, urbemque eorum relinquatis, absque his abeatis,  
 eique populo civitati que metum, formidinem, oblivionem, iniiciatis;  
 proditique Romam ad me meosque veniatis, nostraque vobis loca,  
 templa, sacra, urbs acceptior probatiorque sit, mihi que populo Roma-  
 no militibusque meis praepositi sitis, ut sciamus intelligamusque. Si  
 ita feceritis; voveo vobis templa lucosque facturam.* Camillus  
 vero apud Livium, *Lib. V*, Iunonem e Veis his verbis evocat: *Te si-  
 mul Iuno Regina, quae nunc Veios colis, precor, ut nos victores in no-  
 stram tuamque mox futuram urbem sequere, ubi te dignum ampli-  
 tudine tua templum accipiat.* Quoad vero revera templorum  
 aliarumque rerum ad cultum divinum pertinentium necessitas sit  
 extendenda, non obscurum indicium ipsa oracula summi Numi-  
 nis faciunt. Quae uti iubent, *1 Corinth. XIV, 40*, ut omnia ordi-  
 ne et decore in coetu Christiano peragantur: ita in *Epist. ad Tit. 1,  
 15.* & *1. Timoth. IV, 45*, docent, *mundis omnia esse manda, & omnia*  
san-

*sanctificari fide et gratiarum actione*; itemque, I *Timoth. II, 8,*  
 & *Iohannis IV, 21,* testantur, *omni loco Deum licere adorare.* Vnde  
 simul intelligas, etiam in illis locis nos cultui divino vacare posse,  
 ubi antea homines a vera religione alieni, et qui *idololatrae* di-  
 euntur, sacris fuerunt operati. Neque vero haec eo dicimus, ut  
 templorum usum, et, quae fortasse nonnullorum temeritas est,  
 ipsum publicum Dei cultum publicis in locis peragendum minus ap-  
 probemus; sed ut illorum errorem convellamus, qui cum Gust-  
 meiero, in *Fecials Germanico, l. 2. c. 8. p. 312,* existimant, res sacras  
 esse *bona spiritualia*, iisque per se inhaerere aliquam sanctitatem,  
 quae mutari nequeat. Nihilominus tamen, quivis homo facile  
 fatebitur, eam vim et obligationem religionis esse, ut quascun-  
 que res sacras ad amplificandum provehendumque DEI cultum  
 facere posse aliquis noverit, eas haud irreverenter tractare, teme-  
 reve profanare aut perdere debeat. Sine causa enim huiusmodi  
 res violare, levitatem quandam et improbitatem animi argueret;  
 nedum si cum contemptu quodam DEI id fieret.

#### VIII.

Neque vero religio nos obstringit, ut eodem prorsus modo  
 circa res omnes, quae sacrae dicuntur, versemur, cum non omnes  
 eodem modo ad cultum divinum pertineant. Quae ut facilius  
 intelligantur, sciamus, necesse est, quot modis *res sacrae* dicantur.  
 Mimirum aliquando res sacrae audiunt, quae cultui veri  
 DEI sunt dedicatae; atque hae vel primario faciunt ad ordinem  
 cultus divini servandum; cuiusmodi sunt templa: vel faciunt  
 saltem ad decus eiusdem externum; cuiusmodi sunt ornamenta  
 nonnulla: vel ex superstitione quadam ad illum cultum opus esse  
 existimantur, quo *reliquiae sanctorum* pertinent. Quod si  
 Deum verum, cui res sacrae sunt dedicatae, ipsi agnoverimus,  
 sique nobis constet, illas ipsas res cultui divino recte destinatas  
 esse; irreligiosum foret, quocumque loco tales res ignominiose  
 tractare, & cum quodam DEI contemptu contaminare. Imo, nec  
 deceret easdem alioquin temere et absqueratione mutare, aut  
 per-

*Diversa vis  
 est religionis  
 nos obligan-  
 tis pro di-  
 versa rerum  
 sacrarum  
 natura.  
 I. Aliae res  
 DEO vero  
 sunt sacrae,  
 et ita aesti-  
 mantur.*

perdere, ubi illarum violatio non possit nisi turbare cultum divinum; conservatio autem nec nobis fraudi sit futura, nec hostibus adversus nos adiumento. Contra vero ea omnis rei sacrae destructio atque exauguratio merito semper ferenda est, quae reipublicae interitum atque ingens damnum prohibeat, aut hostem brevi subigat ad pacem petendam, aut aliam manifestam reipublicae praebet utilitatem. Non dicam iam de rebus sacris cum superstitione quadam coniunctis: in quas quin plus nobis liceat, dubium non est: dummodo prudentia recte suaserit, an quid fieri expediat, nec ne? Haud vero rectae rationi conveniens videtur, *Ecclesiae* loca et bona quaedam liberaliter concedi, ab eademque ita possideri, ut Reipublicae, in qua est, et cum qua conservari debeat, ruinam aut evidens detrimentum afferant. *Satius est*, inquit Celeberrimus Stryckius, *in dissertatione de execrationibus Testatorum, c. 2, rempublicam conservari bonis Ecclesiae eiusque redditibus, quam ut cum republica simul Ecclesiae status pessundetur.* Deinde dantur res sacrae, quae quidem Numini vero omnino sunt dedicatae, nec minus tamen ab aliis ex ignorantia pro talibus haud aestimantur. Hi, si eiusmodi res praeter rationem nefarie violaverint, in foro divino immunes a peccato non sunt; propterea quod omnes homines Deum verum et nosse et colere tenentur, atque, ex vulgari moralium Doctorum sententia, etiam illi, qui errante conscientia aliquid agunt, male iniusteque agere censentur. Porro, dicuntur aliquando res sacrae, cum tamen falso Numini sint dicatae. Id si certe nobis constet, dubium non est, quin illas in alios usus convertere, ac in bello etiam vastare nobis liceat. Impedita enim falsa Dei colendi ratione, aliquando verus eius cultus facilius promovetur. Ex qua ratione Israelitae paganorum templa, lucos, simulacra atque aras evertere ab ipso Deo, *Exod. XXXIV, 13, Deuter. VII, 5, XII, 2*, iuebantur. Quanquam neque in his quidem a prudentiae legibus nunc est recedendum. Praeterea homines aliquando falsa opinione adducti credunt, se verum numen colere, resque ei nuncupatas

2. *Aliae res Deo vero sunt sacrae, quae ita non aestimantur*

3. *Aliae res Deo falso sacrae, quae et tales agnoscantur.*

4. *Aliae res falso sunt sacrae, nec ta-*

tas

tas revera sacras esse. Hi utique per suam errantem conscientiam peccant, si tum apud se, cum apud alios, illas res temere violent atque corrumpant. Vnde haud difficulter statuendum est, annon exempli causa Gallus ille miles, isque Pontificiae religioni addictus, improbe egerit, qui, siquidem crediderit, inesse in *hostia consecrata* corpus Christi praesens, eam, quam sacerdos obvertit militibus *Basilicam Spirensis* everfuris, sclopo petiisse perhibetur? Qua in re fere religiosiores fuerunt veteres Graeci Romanique; quippe qui inter sacra peregrina et sacra communia, inter peregrinos et patrios Deos, sedulo distinxerunt; ac, sicuti communia sacra plerumque ubivis reverentius habuerunt; ita peregrinos Deos vel pristinis cultoribus iratos reliquerunt, vel, quod paullo ante monuimus, promissis in Urbis templis, arisque, sibi conciliare sunt annisi.

*men tales creduntur.*

## X.

Sequitur tertius fons argumentorum ad eam, in qua versamur, controversiam decidendam utilium, nempe doctrina de IVRE VICTORIAE, et speciatim de iure spoli. Cuius iuris ambitum hoc loco explicare, nimis longum et a nostro instituto tantum non alienum foret. Adeat, cui volupe est, illustriores Iuris Naturae Scriptores, qui magna industria hoc argumentum exposuerunt. Vel ex Livio, *L. VII, c. 31*, constat, iam olim apud Paganos ius victoriae divinorum humanorumque omnium deditionem complexum esse. Atque hoc etiamnum valet, nisi forte victi antea pacti fuerint, ut ipsi quaedam, quae alias victor suo sibi iure vindicaturus erat, possideant: cuiusmodi pactis standum esse omnia iura docent. Igitur, si bellum est iustum, hoc ipso iure victori licet dominium acquirere in res hostium, easque, si usus fert, corrumpere atque vastare. Cum enim tunc iuri naturae non repugnet, ipsos interficere hostes; quomodo iniustum fuerit, eosdem saltem bonis spoliare? Vbi itaque iure belli licet alias res publicas auferre & consumere; ibi licebit etiam, exigente fine belli, res sacras occupare, in usus alios convertere, aut, pro re nata,

Fons III horum argumentorum ducitur a iure victoriae.



devastare. Res enim sacras ad illas res, quae publici iuris sunt, referendas esse, supra iam ostendimus. Ac certo modo non potest improbari sententia Pomponii, qui, indicante *Lege 36. L. XI, digest. Tit. VII*, ita statuit: *Cum loca capta sunt ab hostibus, omnia desinant religiosa vel sacra esse: sicut homines liberi in servitutem perveniunt. Quodsi ab hac calamitate fuerint liberati, quasi postliminio reversa, pristino statui restituntur.* Sicuti enim per auctoritatem prioris summi Domini stetit, utrum, exempli causa, locus aliquis consecraretur, nec ne; ita, ceteris paribus, per voluntatem atque auctoritatem victoris, ad quem summum Dominium iure belli pervenit, stabit, quibus usibus res locaque capta postea destinentur. Pertinet huc, quod Iureconsulti quidam docent, eos, qui constituerint sacra, divinis quidem usibus ea consecrassent, sed suis potius, quam alienis; ut consequens sit, rebus ad hostes translatis, atque ita usu, ad quem paratae erant, sublato, ipsas res ex tacita dedicantium voluntate sacras esse desinere. Haud vero opus erat, ut illud victoriae ius in res sacras denegaret Christianis Fabianus Gustmeierus, qui, loco ante citato, haec scribit: *Non eo licentiae inter Christianos procedit ius victoriae, quo quidem humana omnia, non vero divina, capi ac tolli possunt. Primo enim ius sacrorum coelestium mutari aut tolli iure victoriae non potest. Sacra enim sunt bona spiritualia animae, quae sub Martis aleam non cadunt, nisi et cum DEO bellum gerere, et expugnare coelum victor possit.* Verum sacra Ecclesiae bona falso dici bona spiritualia animae, iam supra monuimus; et ratione locorum bonorumque sacrorum maior Christianis, quam hominibus V. T. libertas permixta est. Interim habet omnino, docente Grotio, *L. III. de I. B. et P. c. 12*, hoc ipsum ius victoriae ubivis suum temperamentum, maxime ab obligatione religionis et a fine belli circumscriptum. Quid religio hac in re nobis iniungat, paullo ante declaratum est. Profecto enim parum religiosum foret, foris ea sine causa perdere, quae domi in sanctissimis haberemus. Finis autem belli iusti

est

est sive defensio necessaria, et securitas, sive reparatio iniuriae: et ad quem alterutrum finem consequendum si profanatio atque devastatio rerum sacrarum nihil faciat, insolens atque inhumanum censetur, res sacras perdere. Certe Polybius, ubi, *Libro V Historiarum*, gravissimis rationum momentis in medium allatis, disquirat, an Rex Philippus, impietatem Aetolorum antehac in templum Iovis Dodonaei admissam aequali ratione ulturus, ipse recte laudabiliterque vicissim in horum templum resque sacras facerit; inter alia ita prudenter graviterque differit: τὸ μὲν γὰρ παραινεῖσθαι τῶν πολεμίων καὶ καταφθεῖρην Φρέρια, λιμένας, πόλεις, ἄνδρας, ναῦς, καρπὸς, τὰλλα τὰ τέτοις παραπλήσια, δι' ὧν τὸς μὲν ὑπεναντίας ἀσθενέστερος ἂν τις ποιῆσαι, τὰ δὲ σφέτερα πράγματα, καὶ τὰς ἐπιβλαὰς δυναμικώτερας, ταῦτα μὲν ἀναγκάζουσιν οἱ τῶ πολέμηνόμοι καὶ τὰ τέτα δίκαια δρᾶν· τὰ δὲ μήτε τοῖς ἰδίοις πράγμασιν ἐπιχειρεῖν μάλλοντα, μηδ' ἠντινῶν παρασκευάζειν, μήτε τοῖς ἐχθροῖς ἐλλάττωσιν πρόςγε τὸν ἐνεσῶτα πόλεμον, ἐκ περιττῆ καὶ ναῦς ἅμα δὲ τέτοις ἀνδριάντας, καὶ πᾶσαν δὴ τὴν τοιαύτην κατασκευὴν λυμαίνεσθαι, πῶς ἐκ ἂν εἴποι τις εἶναι τρόπος καὶ θυμῷ λυτῶντ' ἔργον; hi c. Ea, quae hostium sunt, occupare, eorumque castella, portus, urbes, naves, fructus, devastare, aliaque his similia facere, per quae res inimicorum atterantur, propriae adaugeantur, et ad exitum consilia facilius perducantur; ad haec omnia leges et iura belli nos cogunt: at, quae tuis nihil commodatura sunt, neque autem hostibus ulla in re, ad praesens certe bellum quod attinet, incommodatura, ea nullo bono perdere, et templa, statuas, atque his similia ornamenta omnia delere, quis neget opus id esse hominis et moribus et ira furentis?

## XI.

Haec omnia etiam ad pacis tempora et proprios rerum sacrarum possessores haud aegre accommodari, atque ex iure Domini in publicas res amplius illustrari possunt. Privatis quidem hominibus in res divino cultui sacratas nullum ius feliquum est.

*Illustratur  
a iure domini  
summi in  
res publicas*

et speciatim  
in res sacras.

Sicuti enim his non licet manum iniicere aliis rebus, quae Principis aut universitatis sunt ; ita, quo maior praereliquis publicis rebus rerum sacrarum nobilitas atque praestantia est, (quam haec ex nobiliore fine et usu sacro habent;) eo minus licet privatis, contra auctoritatem superioris magistratus, invadere aut sibi arripere res sacras: et si quis suo ausu violet, aut auferat res tales, ille ex eadem ratione non simplex furtum admittit, sed sacrilegii crimen atque poenam utique incurrit. Verum, cum non obscurum sit, loca bonaque sacra esse publica ; hinc satis intelligitur, ea pertinere ad supremam curam et dominium illorum, in quos populus omne ius suum contulit. Hinc vi huius supremae potestatis nunquam non videmus, temporum necessitate, res sacras vel ab his ipsis, qui sacraverant, in alios usus conversas. Nihil dicam de Pericle, Atheniensium Duce, qui commemorante Thucydide, L. II, haud male suavit, sub pollicitatione restituendi tantundem, res sacras in belli usus pro salute publica convertendas. Nihil dicam de Chiis, qui mulctam à Mithridate sibi indictam, e sacris vasis confecerunt ; nihil de Heraclio, qui vasa Ecclesiae in numos vertit ; nihil de pluribus aliis, quorum meminit Grotius, *de I. B. et P. L. III, c. V*; qui simul ex Controversiis Senecae, Patris, hanc sententiam affert: *Pro republica plerumque templa nudantur ; et in usum stipendii donaria conflantur.* Ipsos legimus Reges Hebraeorum haud improbos sacra suppellectilia sine annotata reprehensione alienasse, et quidem, *III Reg. XII, 18*, Ioam Hafaeli, Syriae Regi, thesaurum sacrum dedisse, et Hiskiam, *IV Reg. XVIII, 15*, Sanheribo, Assyriorum Regi, propitiando misisse, quicquid in regio et sacro thesauro reperit. Quanquam vero ex his generatim apparet, res sacras ad modum publicarum rerum aliarum posse administrari, et inter gentes administratas esse: tamen cum inter illas ipsas publicas res dentur dignitatis gradus, qui potissimum ex usu et fine cognosci queunt ; hinc propter usus praestantiam semper praecipua ratio habenda est rerum sacrarum, nec facile ad earundem exaugurationem est confugiendum, nisi iuri  
neces

necessitati, atque utilitati communi, non tam commode aliunde consuli queat; et nisi fortasse alio modo illa res sacra compensetur, cuius destructio aut exauguratio cultum divinum impediatur. Unde leges civiles, *Cod. de SS. Eccles. L. 21*, sapienter statuunt, tunc potissimum res sacras vendi et oppignorari licere, si capti redimendi sint a barbaris, si egeni alimentis iuvandi, si que insepultis ultimum humanitatis officium praestandum; propterea quod animae hominum quibuscunque vasis et vestimentis sint praefrendae.

## XII.

Reliquum est, ut etiam hoc loco de *differentia iusti, decori, utilis, liciti et honesti*, non nihil dicamus. Quae consideratio quamvis nostrae quaestioni non sit propria, sed omni doctrinae morum communis; dici tamen non potest, quantum illa conferrat ad huiusmodi controversias definiendas. Neque enim vix aliunde frequentius contingere existimamus, ut iuris naturae et morum doctores in diiudicandis moralibus quaestionibus aliquando multum inter se dissideant atque discordent; quam quod, neglecto illo discrimine, et confusa nominum notione, alius iusti, alius honesti, alius decori, alius liciti, alius denique utilis, potiores rationes habeant, neque minus tamen ea omnia promiscue ad ius naturae referant. Sed difficilimum omnino est, certos et perspicuos omnium harum moralium qualitatum terminos circumscribere; utpote quae res alius eiusque longe copiosioris disputationis est. Interea, haud ignari, longe pluribus notionibus haec nomina subiici solere, discriminis causa ita sentimus profiteremurque, IVSTVM nobis esse, quod ex lege agere debemus, et cuius causam evidentem cognoscimus; quoniam ad eas actiones pertinet, quae necessarium et manifestum nexum atque vinculum cum natura sociali et creatura rationali habent, et sine quibus tandem genus humanum interiret, ita, ut si denegentur, vel legibus in republica, vel armis in statu naturali, exigi queant. Quanquam et illud aliquando iustum appellemus, quod iusto saltem

Fons III. definiendae controversiae ducitur a differentia, iusti, honesti, decori &c.

Quid sit iustum?

Quid honestum?

saltem non repugnat. HONESTVM nos eiusmodi factum hoc loco appellamus , cuius causa non aequè pateat ; quod interim determinetur a natura virtutis , et speciatim ab animi magnitudine et probitate eximia , atque aemulatione et imitatione perfectiorum virtutum tum in praestantissimis hominibus , tum in ipso DEO conspicuarum ; ita ut generosa praeferamus licitis atque utilibus , et remittamus de iure nostro , praestemus talia , ad quae iure adigi nequeamus ; et condonemus , ad quae alios iure cogere poteramus. DECORVM esse dicimus , quod pro cuiusvis conditione ad conciliandam existimationem et evitandum contentum attemperatum moratiorum gentium , tum hominum prudentiorum honestiorumque in nostra societate viventium consuetudini , ritibus moribusque externis , qui quamvis non nisi ex gentis placito dependeant , rationi tamen rectae haud adversentur. Quo loco et illud *ὡς ἐν παροῶν* monemus , gentium mores , non fundatos iure naturae , licet ad decori rationes pertineant , per se tamen id , quod iustum est , non constituere , nec ius peculiare efficere posse. LICITVM duplex esse censemus , tum *angustius* , quod nec iustitiae , nec honesto , nec decoro , nec utili , adversatur , adeoque libere et sine reprehensione potest fieri ; tum *latius* , quod quidem iustitiae non repugnat , interim vel ab honesto , vel a decoro , vel ab utili adhuc dirigi et determinari potest. VTILE dicimus esse , quo actiones alioqui bonae vel saltem licitae potissimum ad commoda non tantum praesentia , sed etiam futura vel singulorum hominum , vel integrarum societatum , referuntur. Ex quibus generatim intelligimus , non omne , quod non iniustum est , continuo generositatis et decori nomen recte consequi , aut etiam rationibus nostris conducere ; quamvis ex adverso , qui contra ius agit , simul contra honestum et decorum egisse recte dicatur. Quae omnia ad nostrum argumentum pluribus accommodare possemus , nisi brevitatis studio prohiberemur. Ita , quis non agnoscat , Manium Aquilinum et Aemilium Paullum , clarissimos belli Duces , honeste generoseque

Quid decorum?

Quid licitum?

Quid utile?

Horum brevis applicatio.

seque egisse , qui , laudante Plutarcho, *in Sylla* , debellatis Macedonum Regibus , non modo Graecorum templis pepercerunt , sed eadem quoque donis multoque honore auxerunt , cum citra iniuriæ notam talia non facere potuerint ? Sic , si Princeps templum quoddam , fortasse commodioris situs aut alicuius necessitatis et insignis utilitatis causa , *Nosocomii* , armamentarii , granarii , stabuli , aut aliarum rerum minus sacrarum usibus destinaret , novo interim templo , si opus esset , fierique posset , alibi extracto , aut saltem non intermisso turbatoque Dei cultu ; ille quidem tunc non contra iusti leges ageret : attamen , si talia prae-ter rationem probabilem , solo inconsulto animi impetu ageret , parum decore ; imò , si ex contemptu verae religionis faceret , iniuste et impie egisse existimaretur . Sed et aliter ex iusti , aliter ex utilitatis rationibus , de ipsis factis bellicis iudicamus . Ita , quis dixerit , nostros iniuste agere , si belli tempore Turcarum sana violentia ? Is tamen rerum status eaque belli conditio aliquando esse potest , ut hoc ipsum fieri minime expediat . Observamus enim , prudentissimos Victores ab alienis sacris saepe abstinuisse ; non , quia religionis vinculo , aut belli iure , se impeditos crediderint ; sed partim ob varias belli vicissitudines , ne deinceps idem faciendi occasi- onem darent hostibus ; partim , ne excuterent fiduciam animis militum , qui forte ex falsa opinione sacrilegii crimen poenam- que Dei metuerant ; partim , ne hostium animos a se nimis alienarent , sed potius sibi magis devincerent ; partim denique , ne eos- dem ad desperationem , ( quae maximum hostium telum esse solet , ) adigerent : quum inter gentes nihil adeo populi animos exacerba- re queat , quam si quis in alterius sacra saeviat . Ceterum , sicuti nostram proprie est , iusti et honesti rationes in diiudicandis actio- nibus humanis expendere ; ita , quid publice privatimque expediat , et speciatim etiam , quid in bello utile sit , politicis conside- randum relinquimus . Quod vero ad *decori* doctrinam attinet , constat , eam diu incultam iacuisse , aut certe nondum ad iustam disciplinae formam redactam esse , nec facile redactum iri .

*Politici est,  
considerare,  
quid sit uti-  
le.*

## XIII.

Cur haec  
praemissa?

An causa  
belli Athe-  
nienſium fu-  
erit iuſta?

Haud, opinor, aegre feres, Lector Benevole, quod velut ambagibus uſi demum ad ſententiam de noſtra controverſia ferendam deveniamus. Ita ſcilicet indagare voluimus fontes argumentorum huc ſpectantium, ut ſimiles controverſiae eo facilius breviusque hinc explicari poſſint. Priuſquam vero ad quaestionem *n. II* propoſitam respondeamus, opus eſt, ut definiamus, utrum illud ipſum bellum, quod tunc Athenienſes gesserunt aduerſus Boeotos, iuſtis ex cauſis fuerit ſuſceptum, nec ne? Etenim, ſi hoc nobis conſtet, proclivius erit, etiam de occupatione et uſu templi Delii iudicare. Sin illud bellum fuerit iniuſtum, nec eius effectus non potuerunt eſſe iniuſti, meritoque obligati fuiſſent Athenienſes ad reſtitutionem. Recte enim ait Grotius, *L. III, c. 10, §. 3, de I. B. et P. Si belli cauſſa iniuſta ſit, etiamſi bellum ſolemni modo ſuſceptum ſit, iniuſti ſunt, interna iuſticia, omnes actus, qui inde naſcuntur.* Hinc etiam, cum ſupra, *n. X*, ius victoriae paucis deſcriberemus, illud non niſi de bello iuſto intelligi voluimus. Quod igitur ad hoc bellum attinet, de quo agimus, nobis quidem in praeſenti non vacat, de eius iuſticia, excuſſa omni hiſtoria, copioſe inquirere; interim, diſputandi cauſſa, minimum ponimus, illud bellum non iniuſte ab Athenienſibus fuiſſe ſuſceptum; ipſorumque orationi fidem adhibemus, qua, haud reclamantibus Boeotis, apud Thucydidem aſſeverant, ſe hoſtes ſuos, qui priores Atticum agrum inuaſerint, ulciſci cupere. Cum igitur inter *cauſſas iuſtificas* belli, docente Grotio, *de I. B. et P. Lib. II, 20, 8*, numeretur etiam iniuria facta, ut illa reparetur, et ut hoſtis malo ſuo dedoceatur delinquere, ſive, ut cautionem de non offendendo impoſterum ab eo, qui nos haec prior, extorqueamus; hinc conficitur, ea lege et conditione nec iniuſtum fuiſſe bellum Athenienſium, ut qui conſulere voluerint ſecuritati ſuae iuſta ultione.

## XIII.

Controver-  
ſia deciditur

Quibus praemiſſis aſſumtisque, negamus, Athenienſes iuris naturae et gentium leges violaffe, quod templum Delium more bel-

bellico invaserint, occuparint, ad castelli modum communiverint, inde se adversus hostes defenderint, et aquam sacram ad alios usus adhibuerint. Probamus vero hanc sententiam nostram rationibus, quas supra exposuimus, huc accommodatis: et quidem primum provocamus ad naturam templi rerumque sacrarum; quarum naturam eiusmodi esse, *n. III et VI*, ostendimus, ut, si cetera recte se habeant, res sacrae occupari, alienari, et aliquando in alios usus converti queant? Deinde probamus sententiam nostram ab obligatione et vi religionis; quae Atheniensibus tunc non obstitit, cum res illae Apollipi, Deo ficto, fuerint consecratae. Et quamvis Athenienses coeca opinione ducti eundem Apollinem pro vero Deo coluerint, resque cultui eius dicatas vere sacras existimarint; iis tamen, huiusmodi casu, omnia in templum Delium et reliquas res ibi sacras iure naturae permessa fuerunt, quae supra, *num. VIII*, veri Dei cultoribus cum rebus sacris agere licere demonstravimus. Professi enim sunt, se templum non cum quodam Dei contemptu eiusque profanandi causa occupasse, muniisseque; sed ut belli scopum eo citius consequerentur. Quae de re Thucydides l. c. ita scribit: *οἱ Ἀθηναῖοι πέμψαντες παρὰ τῆς βοιωτῆς ἐαυτῶν κήρυκα, τῆ μὲν ἱερᾷ ἔτε ἀδικῆσαι ἔφασαν ἕδεν, ἔτε τῆ λοιπᾷ ἐκόντες βλάψειν· ἕδὲ γὰρ τὴν ἀρχὴν ἐσελθεῖν ἐπὶ τῷ, ἀλλ' ἵνα ἐξ αὐτῆ τῆς ἀδικῆντας μᾶλλον σφᾶς ἀμύνωνται.* h. e. Athenienses, suo ad Boeotos caduceatore misso, responderunt, se neque sanum ulla ratione violasse, nec posthac quicquam in eo peius scientes volentesque facturos; neque enim in initio ea de causa ingressos, sed uti commodius hostes suos inde oppugnarent. Et paucis interiectis, de usu profano aquae sacrae aiunt: *Ἦδωρ τε ἐν τῇ ἀνάγκῃ κινήσαι, ἢν ἔκ αὐτοῖ ὕβρει προσθέσθαι, ἀλλ' ἐκείνους προτέρως ἐπὶ τὴν σφαιτέραν ἐλθόντας ἀμυνόμενοι βιάζεσθαι χρῆσθαι. Πᾶν δὲ εἶκος εἶναι τῷ πολέμῳ τε καὶ δαινῷ τινι κατεργόμενον ζυγνωμόν τι γίγνεσθαι καὶ πρὸς τῆ θεῆ. Καὶ γὰρ τῶν ἀκροσίων ἀμαρτημάτων καταφυγὴν εἶναι τῆς βωμῆς. Παρανομίαν τε ἐπὶ τοῖς μὴ ἀνάγκη κακοῖς ὀνομαζήναι, καὶ ἔκ ἐπὶ τοῖς ἀπὸ τῶν συμφορῶν τιτολημισσασι.* h. e.

negando, Athenienses eo facto ius naturae violasse. *Argum. I.*

*Argum. II.*



*Aqua sacra se necessitate compulsos uti; quam non ipsi sua temeritate culpave contraxerint; sed dum illos, qui priores agros suos invaserint, ulcisci cupiant, ad utendum illa se per vim cogi. Omnino credibile esse, quicquid aliquis bello aliave necessitate aut iniquitate coactus faciat, id veniam etiam apud Deos mereri: etentm in vitis delictis ad aram perfugium esse, et sceleris nomen is imponi, qui nulla necessitate cogente flagitiosi sint; non, qui adversis casibus ad audendum aliquid compellantur.* Porro sen-

**Argum. 3.** tentiam nostram confirmamus a iure victoriae et dominii summi supra, n. X et XI, explicato. Sicuti autem ostendimus, hoc ius complecti occupationem rerum divinarum humanarumque; ita etiam ipsi Athenienses apud Thucydidem huc provocarunt, caduceatore interprete ita locuti: Ο' δε νόμος τοῖς ἑλλήσιν ἐστίν, ὡν ἀν' ἢ τὸ κρείττον τῆς γῆς ἐκείνης, ἢντε πλείονος, ἢντε βραχυτέρας, τῶν κ' τὰ ἱερὰ αἰεὶ γίνεσθαι τρόποις θεραπεύόμενα, οἷς ἀν' πρὸς τοῖς εἰωθόσι καὶ δύνανται. h. e. *Hoc ius est omnium Graecorum, ut, quicumque regionem aliquam, sive magna, sive parva illa sit, armis obtineant; penes eosdem templorum quoque semper ius esse, quae ipsi colant, prout consuetudo exigit, et etiam possant.* Quibus verbis simul innuunt Athenienses, se non modo iure victoriae legitime occupasse et tenere templum resque sacras; sed etiam iure dominii nunc iisdem pro sua conditione temporumque ratione recte uti; quia iure belli obtinuerint iam partem regionis Boeoticae, eiusque domini essent; iam autem eos, qui regionis alicuius domini evasissent, sacrorum quoque in illa regione esse dominos, hisque, haud secus, ac priores domini, uti recte posse.

### XV.

Quae omnia quamvis ad intelligendum satis perspicua satisque in aperto esse videantur; est tamen non nihil, quod dubiam sentiendi rationem afferre queat. Primum, ipsi Boeoti iniustitiam exprobrarunt Atheniensibus, quod, παραβαίνοντες τὰ νόμιμα τῶν ἑλλήνων, violaverint instituta Graecorum, dum a sacris non abstinerunt. Aiunt enim, interprete Caduceatore, apud Thu-

**Argumen-  
tum con-  
trarium  
a violatis  
Graecorum  
institutiis.**

cydi-

cydidem, ὅτι Ἀθηναῖοι εὐδικίαις δρᾶσινται, παραβάλλοντες τὰ νόμιμα τῶν ἑλλήνων. πᾶσι γὰρ εἴποι καθεστῆκός, ἴοντες ἐπὶ τὴν ἀλλήλων, ἱερῶν τῶν ἑνότων ἀπόχεσθαι. h. e. ex interpretatione Lib. Baronis, Georgii Acac. Enenkellii: *Athenienses praeter fas et aequum instituta legesque Graecorum sobuisse; id enim ab omnibus hactenus observatum, qui aliorum regionem cum armis ingressi essent, uti templis, in contemperarent.* Ad quem Thucydidis locum cum illustriores quidam iuris naturae Doctores provocaverint, eundem alii, in simili argumento versati, et illos saepe praeter causam secuti, nulla habita legitimae interpretationis ratione, citare solent, cum tamen multum intersit, quo quismodo nomen illud, τὰ νόμιμα, interpretetur. Necessè vero est, Boeotos apud Thucydidem per vocem, τὰ νόμιμα, vel ius naturae intellexisse, quo omnes omnino homines atque gentes obligantur; vel peculiare leges pactio-  
 nisque quandam generalem, qua se invicem obstrinxerint populi Graeciae de locis rebusque sacris non oppugnandis atque occupandis; vel saltem consuetudinem talem inter ipsos tacito consensu, citra expressum pactum, usurpari solitam. Etenim nomen illud a Scriptoribus tum ad leges certas atque pacta, tum ad consuetudines saltem referri, Graecae linguae gnaris facile constat: quae tamen cum diversam producant obligationem, in iure naturae et morum doctrina probe sunt discernenda. Si Boeoti intelligi voluerunt *Ius Naturae*, stricte sic dictum, praeter meritum huius iuris violati accusarunt Athenienses. Illud enim ius occupationem et alium rerum sacrarum usum non in universum prohibet, sed occupationem iniustam, et usum rerum sacrarum cum contemptu DEI coniunctum. Iam vero rationibus non contemnendis de utroque se purgarunt Athenienses, uti paullo ante exposuimus. Et si maxime interna quaedam improbitas cum hoc ipsorum facto fuerit coniuncta; eam tamen non nisi DEO cognoscendam puniendamque relinqui oportuit. Quod si Boeoti, provocantes ad νόμιμα τῶν ἑλλήνων, intellexerunt leges et pacta peculiaris de re-

Quid notent  
 hoc loco  
 τὰ νόμιμα?

An ius natura-  
 e?

An peculiaris  
 Graecorum  
 pacta?

bus sacris a vi bellica plane eximendis, quae inter se habuerint Graeci; tunc recte omnino dixissent Boeoti, iniuste fecisse Athenienses, eoque ipso violasse ius naturae et Gentium, dum, templo Delio occupato, huiusmodi pactis non steterint; cum tamen ex lege naturae pacta ab omnibus sint servanda. Sed minus probabile nobis videtur, unquam ad huiusmodi universalem pactio- nem venisse Graecos; quoniam haud meminimus hac de re usquam quicquam legere. Ex adverso in historia Graecorum haud pauca reperiuntur exempla, quae testantur, Graecis iure et occa- sione belli licuisse suas invicem regiones, et in his sacra quoque, oc- cupare, iisque deinceps more suo uti. Hoc est, quod ipsi quoque Athenienses urserunt; ut qui occupationem templi Delii et usum rerum sacrarum contra Boeotos defensuri, regefferunt, hoc ius esse omnium Graecorum, ut, quicumque regionem aliquam armis obtineant, penes eosdem templorum quoque ius sit, quae colant, prout consuetudo exigat, et ipsi etiam possint. Nec opus erat, ut pluribus exemplis Athenienses hoc suum effa- tum confirmarent: nulla enim re efficacius adversus Boeotos factum suum tueri poterant, quam illorum ipsorum exemplo. Ipsos, aiunt, Boeotos, et multos praeterea, qui aliis vi pulsus, regionem tenerent, alienis primo fanis manus admovisse; ea autem iam propria sibi vindicare. Sed cum nec hac quidem ratione processerit Boeoto- rum accusatio; reliquum est, ut per nomen τὰ νόμιμα intellexe- rint consuetudinem belli tempore abstinendi a sacris, tacito gen- tium, maxime Graecarum, consensu receptam, adeoque existi- marint, Athenienses, violata hac consuetudine, iniuste egisse. A qua significatione illa vox aliena non est; nec recedit vox sequens καθίστημι, quae id quoque notat, quod solitum moribusque comparatum est. Et certe negari non potest, inter humanissi- mas quasque gentes plerumque in magna laude positum fuisse, si quis in bello res sacras reverentius tractarit. Verum, praeter- quam quod ille mos non plane universalis fuit, dum ab eo vel il- las ipsas gentes moratiores identidem recessisse deprehendimus,

(quod

*An consue-  
tudinem  
Graecorum?*

(quod iam pluribus enarravit Vir Cl. Io. Franc. Buddeus, in *Disser-  
tatione de iure belli circa res sacras*;) ex illis certe moribus pe-  
culiaris species iuris atque legum, quae tanquam a superiore  
perfectae gentes universas stringant, non constituitur. Prae-  
clara hac de re sententia extat Sam. Pufendorffii, *L. II. c. III. §. 22.  
de I. N. et G.* quam huc transferre haud piget: *Consuetudines illae,  
inquit, licet videantur continere obligationem ex pacto saltem ta-  
cito ortam; tamen si legitimum bellum gerens eas neglexerit, modo  
contrarium earundem per ius naturae recte fieri possit, nullius alte-  
rius peccati arguetur, quam cuiusdam ruditatis; quod quis sese ad  
mores velut eorum non composuerit, quae bellum inter artes libe-  
rales habetur; non secus, atque imperitiae inter gladiato-  
res accusatur, qui alterum non iuxta regulas artis vul-  
neraverit. Igitur si quis iusta gerit bella, solo naturae iu-  
re, neglectis illis consuetudinibus, ea potest regere; ni for-  
te ob commodum aliquod suum easdem velit observare. Quae  
omnia si conferantur cum iis, quae num. XII diximus, non obscu-  
re apparet, Boeotos illud Atheniensium factum, quod ex addu-  
ctis rationibus nisi decori neglecti argui non potuit, praeter me-  
ritum iniustitiae insimulasse, aut saltem improprie et latissima si-  
gnificatione iniustum appellasse, quatenus scilicet quidam huius-  
modi consuetudines atque liberos gentium mores IVS GENTIVM  
nuncupare consueverunt: unde nec Athenienses ex hoc solo argu-  
mento ad restitutionem occupati templi fuerunt obligati.*

#### XVI.

Verum, praeter illud argumentum a Boeotis allatum, fortasse  
et alia Atheniensibus obiici potuissent. Pertinent huc illorum  
argumenta, qui semper nefas ducunt, exaugurari sacra. Liceat  
hoc loco speciatim repetere dubia, a Io. Ad. Osiandro, in *Annota-  
tionibus ad Grot. L. III. c. V. del. B. et P. p. 1418*, proposita; quae quam-  
vis potissimum Christianorum religionem respiciant; haud aegre  
tamen nonnulla ex illis ad nostram controversiam accommoda-  
buntur. Ille enim, ut omnium sacrorum exaugurationem impro-  
baret, ait primum, *aliud funderi rationem rectam; quae enim*

*Alia argu-  
menta con-  
traria die-  
luuntur.*

r.

Deo

- Deo sint relicta, humanis iuribus esse exempta, adeoque non posse censeri in bonis alicuius hominis. Sed hoc dubium iam supra, num. IV et V, expediimus. Deinde ait, aliud suadere ipsam Ecclesiae rationem; bellum enim esse inter Principem alicuius populi, et aliam Principem; non inter Ecclesiam et Ecclesiam, quae possunt esse eiusdem religionis. Verum, si, quod pluribus supra declaravimus, res sacrae sunt iuris humani, et si a summo civitatis dominio haud eximuntur; illae non secus belli aleae sunt subiectae, ac ipsae personae, quae tamen magis, quam res et loca sacrata, ad Ecclesiam pertinent. Porro ait: aliud suadere ipsum ius; iniuriam enim ab uno factam alteri, qui eius particeps non sit, fraudi damnoque esse non debere: quid ergo ad DEUM, si Princeps peccaverit? Sed, dum iusto bello alteri adimuntur privata patriae atque publica bona, et in his ipsae res sacrae; hae per se non eripiuntur DEO. DEI enim dominium quis infringere queat? Sed quale ius hominibus datum est in huiusmodi res; illud in alios transferri potest, illaefo supremo DEI dominio. Nisi enim contentus atque illuso DEI accesserit, per illam humani dominii translationem DEO per se nulla infertur iniuria, etiam cum, cum, exigente usu, exaugurantur res sacrae; quoniam nihilominus DEI cultum constare posse ostendimus. Praeterea provocat, ille ad exempla gentium, quae, cum verae religionis fuerint expertes, nihilominus tamen pepercerint sacris. Sed in capite antecedente XV monuimus; mores gentium hac in re non in universum conspirare, nec per se aliquod ius constituere. Denique ait, pro sua sententia stare iudicium divinum adversus eos, qui sacra profanarint, manifestis iisque gravissimis poenis declaratum. Cuius rei quam plurima ex historiis documenta produxit. Sed pleraque illa, quae laudatus Scriptor attulit, spectant ad temerarios atque impios sacrorum violatores: quos neque nos excusamus; Ceterum sic sentimus, atque ita inducimus in animum, quamvis impietas omnino mereatur ultionem atque poenam divinam, hanc tamen non semper, nec necessario, in hac vita sese exercere; neque ex rebus secundis adversive de iustitia aut iniustitia hominum eorumque actionum simpliciter statui debere. DEI enim iudicia sunt imperscrutabilia, teste divo Paulo, ad Romanos, c. XI. 33. Atque ut alia taceam, annon credas, multos, qui revera fuerunt sacrilegi, impune suum facinus tulisse, resque ex sententia sua gessisse, quamvis aliquando horum haud meminerint scriptores? Annon suspicaris, quaedam, quae hac de re memorantur, tralatitia esse, inprimis si legas, quae observavit Schookius, L. de bonis Ecclesiasticis, Sect. 1. c. 40. Denique, annon tibi persuasum habeas, saepius alias rationes ferum minus feliciter in bello gettarum dari posse?

XVII.

Plura, quae hac de re affetri poterant, scientes prudentesque praeterimus, et, ut tandem modum atque finem huic disputationi faciamus; iam in hac controversia subsistimus, satis persuasi, et dubia, si qua sint reliqua, ex fontibus argumentorum supra indicatis facile expediri posse, et reliquas controversias, quas iam hac ipsa exercitatio complecti constitueramus, alia occasione, si DEYS voluerit, aequè commode disquisitioni subiectum iri.

**CONTROVERSIARVM  
IVRIS NATVRAE ET GENTIVM**

**EX HISTORIA GRAECA ILLVSTRATARVM**

**SPECIMEN II**

**QVOD**

**PRÆSIDE**

**CHRISTIANO GOTTL. SCHVVARZIO**

**PHILOS. MORALIS ORATORIAE ET POESEOS PROFES-**

**SORE PVBLICO BENEFICIARIORVM NORICORVM**

**INSPECTORE**

**H. T.**

**ACADEMIAE ALTORFINAE**

**RECTORE**

**D. VIII OCTOBRI A. R. 1792**

**PVBLICAE DISQVISIONI SVBMITTIT**

**IOHANNES CHRISTOPHORVS HOEGER**

**NORIMBERGENSIS**

---

**TYPIS EXSCRIPSIT**

**IOD. GVIL. KOHLESIYS ACAD. TYPOGR.**

IN THE SUPREME COURT OF THE STATE OF TEXAS  
AT THE CITY OF DALLAS  
IN AND FOR THE COUNTY OF DALLAS

THIS COMES before the Court for the hearing and consideration of the following

CAUSE NO. 10,000

**JOHN W. WATSON** vs. **THE STATE OF TEXAS**

and

**THE STATE OF TEXAS** vs. **JOHN W. WATSON**

and

**JOHN W. WATSON** vs. **THE STATE OF TEXAS**

and

**THE STATE OF TEXAS** vs. **JOHN W. WATSON**

and

**JOHN W. WATSON** vs. **THE STATE OF TEXAS**

and

**THE STATE OF TEXAS** vs. **JOHN W. WATSON**

CONTROVERSIA II  
DE  
VSV VENENI IN BELLO

## I.



Osteaquam bella exorta sunt inter homines, hi non iis saltem decerandi instrumentis, quae velut a natura acceperunt, contenti fuerunt; sed etiam alia atque alia identidem armorum praesidiorumque genera excogitarunt, quibus opprimerent hostes, et se suaque tuerentur. Mirum videri potest, ea gratia iam vetustissimis temporibus etiam vene-

Ancientius  
usus fuit  
veneni  
in bello.

rum usurpatum esse. Cuius usum quamvis barbaris gentibus longe frequentissimum fuisse haud inficias eamus; idque quam plurimis, si opus foret, exemplis comprobare possumus: constat tamen, etiam Graecos homines, (quae quidem gens vel maxime cultus et humanitatis nomine gloriata est,) adversus hostes non prorsus veneno sese abstinuisse. Ita Livius, gravis locuplesque auctor, *Decad. V, L. 2*, testatur, Persea, Regem Macedonum, apud Romanos accusatum, et per clandestina grassari scelera atrociorum ac veneficiorum iudicatum esse, propterea quod a L. Rammio, principe Brundisii, promissis ingentibus praemiis peterit, quoniam duces omnes legatique Romani hospitio eius uti assuescent, quibus eorum ipse scripsisset, ut venenum dandum curaret. Sic Cicero, *L. III de Officiis, c. 22*, Plutarchus, *in vita Pyrrhi*, A. Gellius, *Noct. Attic. L. III, c. 8*, Valerius Maximus, *L. VI, c. 5*, referunt, Medicum Pyrrhi, fortissimi Epirotarum Regis, Fabricio, Consuli Romano, pollicitum esse, si praemium sibi pro-

Etiam inter  
Graecos.



posuisset, se Regem suum veneno necaturum. Quod vero factum avertatus Fabricius; literis missis Pyrrhum monuit, ut insidias caveret. Adhaec Thucydides, *L. II.* scriptum reliquit, Atheniensibus gravi pestilentia laborantibus, in Lacedaemonios cecidisse suspicionem, quod fontes Atheniensium veneno infecerint. Et, ut alia in praesens exempla praetermittamus, Pausanias, in *Corinthiacis c. 37.* commemorat, Herculem spicula sagittarum felle alicuius hydrae, quae insanabili fuerit veneno, imbuisse. Quid, quod ipse Homerus, quo nullum antiquiorem scriptorem Graecum habemus, veneni adversus hostes usurpati meminit. Etenim, *Odyss. A. v. 259. et sequentibus.* Pallada, quae induerat formam Mentae, Regis Taphiorum, fecit commemorantem, quemadmodum Vlysses celeri nave profectus Ephyrea ab Illo Mermeride venenum mortiferum petierit ad sagittas venenandas: verum ab Illo hoc ipsi denegatum esse ait, quia ille veritus fuerit DEOS immortales; tandem vero Patrem Mentae, amore singulari inductum, Vlyssi venenum, quod petierit, dedisse. Quam fabulam Poetae antiquissimi tanto libentius nunc arripuimus; quanto hinc luculentius intelligimus, quam antiqua sit consuetudo armorum venenandorum, ita tamen, ut iam vetustissimis temporibus de iustitia huius moris dubitatum disceptatumque esse videatur. Ilus enim ille nefas esse existimavit uti venenatis armis, atque hinc, DEI offensam veritus, Vlyssi venenum denegavit. Vlysses contra, cui alioqui maxima virtutis laus tribuitur, sibi non religioni duxit, sagittas suas veneno imbuere, hostiumque mortem eo magis accelerare. Cum ergo ad haec nostra tempora de iure veneni in bellis usurpandi disputari videamus; argumentum hoc non indignum arbitrati sumus, quod iam in disquisitionem vocemus.

## II.

Stans con-  
troverbiae.

Summa ergo praesentis controversiae non tantum illuc pertinet, ut quaeramus, cognoscamusque, utrum vir magnae virtutis laude commendatus, qualis describitur Vlysses, ius naturae et gentium

tium violaverit; an saltem parum decore egerit, dum sagittis veneno infectis usus est adversus hostes? sed etiam tota haec disquisitio eo referetur, ut constet, quid generatim de usu veneni in bello sit statuendum?

### III.

Ante vero, quam nostram qualemcunque sententiam exprimamus, fontes huius controversiae diiudicandae paucis ostenduri sumus. Atque tunc primaria quidem ratio, quae huc pertinet, deducenda videtur ex iure bellico interficiendi hostes, et generatim ex modo agendi in bello; qui, docente Pufendorfio, *L. II. de O. H. & C. c. 18. §. 5. & 6.*, maxime *vi et terrore* continetur, ita tamen, *ut non minus fraude ac dolo adversus hostem uti liceat, modo fides data non laedatur: quoniam, qui hostem sese mihi declaravit, cum in hos ipse sit professio. extrema mala mihi intentandi; eo ipso quoque, quantum in se, mihi indulget facultatem adversus se in infinitum.* Vnde etiam Cicero, in Oratione pro Milone: *Hoc, inquit, et ratio doctis, et necessitas barbaris, et mos gentibus, et feris natura ipsa praescripsit, ut omnem semper vim, quacunque ope possent, a corpore, a capite, a vita sua, propulsa- rent.*

Fons I decidendae controversiae ducitur generatim a modo secundum ius naturae agendi in bello, qui proprie vis est.

### IV.

Haec vis autem bellica, in bello quidem iusto, quod omnino hoc loco ponimus, recte procedit etiam ad caedem hostium. Vulgo enim constat, et omnium iurium omniumque gentium consensu comprobatum est, si nullum aliud homini remedium fuerit reliquum, quo ius suum tucatur, iniuriamque propulset, licere non tantum res hostium vastare et eripere, corpusque laedere; sed ipsam etiam vitam adimere. Id quod requirit belli ratio; quod, absque permessa vi huiusmodi, aut nullo aut per exiguo usu nunc quidem gereretur. Speciatim vero idem probat involvitque custodia et conservatio nostri, quam DEVS nobis commendavit; itemque nostri defensio, quam in ipso quinto *Decalogi* praecepto Deus iunxit. Cum primis vero hoc postulat iustitia publi-

Haec vis progreditur usque ad caedem hostium.

ca tranquillitasq; societatis humanae, quae sine armis et sine hoc iure occidendi hostis obtineri non potest. Neque enim hoc ius nos nostraque defendendi DEVS per naturam nobis frustra et absque omni praesidio concessit, quod bonitati et sapientiae eius repugnaret. Vbi ergo sine vi et caede hominum nec ius defendi, nec iniuria arceri potest; DEVS talem vim permittere et probare intelligitur. Ad ea enim, docentibus iuris naturae magistris, quae ad finem iuris nostri consequendi moraliter sunt necessaria, ius sive facultatem iure habere existimamur. Neque obstat Christianae religionis natura; cum usus gladii, aequae tempore novi ac antiqui Foederis, valeat. Caeterum hoc ipsum ius belligerendi interficiendique hostis scriptores iuris naturae et gentium passim declaraverunt; eaque de re nominatim adire licet H. Grotium, *L. II de I. B. et P. c. 1. et L. II l. c. 4. et 11.* ac Seldenum *de I. N. et G. Lib. VI, c. 12.* Quamvis vero fuerint, qui, uti omne bellum, ita quoque omnem hominum caedem damnarint: horum tamen sententia merito reiicitur; partim, quia ea iniuria est in ipsius DEI sanctitatem ac iustitiam: (vult enim DEVS, ut ius servetur defendaturque; iniuria vero reprimatur) partim quia fraudi potest esse universae societati humanae; utpote quae absque tali defensione ac caede non nisi libidini hominum sceleratorum exponeretur.

V.

Eadem vis bellica certis regulis explicatur et circumscriptur.

Sed illa vis bellica interficiendi hostem, illeque modus violenter agendi in bello, non prorsus absolute intelligi debet; cum, auctore Cicerone, *L. II de officiis*, ulciscendi et puniendi sit modus; et, teste Seneca, *Epist. CXX*, detur etiam aliquod in hostem nefas. Ergo necesse est, ut illud ius certis velut terminis circumscriptur; qui termini potissimum ex fine belli definiuntur; sicut alias omnis facultas agendi a fine circumscribi solet. Ad quam rem intelligendam utilissimae sunt tres illae regulae, quas Grotius, *L. III de I. B. et P. c. 1*, suppeditavit, luculentiusque explicavit. Ostendit nimirum, primo, *tantum in bello licere, quantum finis ratioque belli iusti permittat.* Deinde, *finem huius non ex solo*

*solo belli principio aestimandum esse ; sed etiam ex causis subna-  
scentibus, ut, respectu satisfactionis, eorum quoque ratio habeatur,  
quae durante bello contigerunt. Ad cuiusmodi causas subna-  
scentes Textor, in Synopsi Iuris Gentium c. 18, refert 1. damna ho-  
stilia post indictionem belli illata; 2. sumtus in militiam erogatos;  
3. cautionem de futuro. Tandem Grotius ait, eundem finem eo-  
usque extendendum esse, ut nonnulla, quae aliquando bellum ne-  
cessario, quanquam indirecte et extra agentis propositum, conse-  
quuntur, et extra istam causam neutiquam iuste fieri possent, in  
bello tamen iuste fieri censeantur. Quo casu domus plena latro-  
nibus navisque piratis, tormentis peti solet, etiam si intra ean-  
dem domum aut navem sint pauci infantes, mulieres, aut alio-  
quin innocentes, quibus inde creatur periculum.*

## VI.

Licet vero violentus iste modus agendi in bello suis finibus et potissimum humanitatis temperamento, de quo Grotius, *L. III. c. 11.* legendus est, aliquatenus restringatur; non tamen iure ita est restringendus, ut illi, quem iuste occidere licet, et quo non occiso nos ipsi servari non possumus, adversus nos sese defendendi copiam scientes prudentesque concedamus. Etenim, quanquam hoc a nonnullis ad generositatis laudem referri soleat; tamen, si res paullo accuratius perpendatur, potius tale factum ratione primae originis ad ambitionem nimiamque virtutis ostentationem et gloriae cupiditatem pertinet. Etenim, virtutis potius proprium est, compendium facere periculorum, quam ea sponte cumulare, aut non evitare, quae commode evitari poterant. Iam autem, si hosti, qui mori meruit, et, quo salvo ipsi salvi esse nequimus, facultatem damus sese defendendi hostiliq; animo nos laedendi, nosmet ipsos maiori exponimus periculo, quod, praeclusis resistendi viis, iure declinare debebamus. Interim negari nequit, hunc ipsum morem pugnandi decertandique cum hoste, de quo loquimur, plurimum gentium saeculorumque consuetudine (ex qua plerumque decoratio constituitur) ita receptam esse, ut, qui secus egerit, parum

An hosti-  
copia sese  
adversus  
nos defen-  
dendi sit  
danda?

parum fortis esse, et decori saltem leges violasse existimetur. Sed cognoscas inde, ex opinione moribusque hominum, ea, quae non optimae originis sunt, saepius specie quadam virtutis decorique fallere solere. De huiusmodi rebus et actionibus perquam pulchre scripsit Seneca, *Epistol. CXXVII. Inter causas*, inquit, *malorum nostrorum est, quod vivimus ad exempla: nec ratione componimur; sed consuetudine abducimur. Quod si pauci facerent, nollemus imitari: cum plures facere coeperunt, quasi honestius sit, quia frequentius, sequimur; et recti apud nos locum tenet error, ubi publicus factus est.*

## VII.

Il fons decidendae controversiae est speciatim ius armorum instrumentorumque ad defensioem necessariorum.

Monuimus paullo ante, modum agendi in bello proprie violentum esse solere, ita, ut non solum hostium bona corrumpere et corpus laedere, sed ipsis etiam mortem inferre liceat; ex quo porro sequitur, ut etiam de certis subsidiis instrumentisque circumspicere debeamus, quibus protelemus hostem; quoniam absque his non vim vi repellere, adeoque nec hostes compefcere, aut, sicubi necesse est, e medio tollere, valeamus. Talia subsidia, quae generali nomine *ARMA* dicuntur, ius naturae nusquam determinat: sed ea omnia admittit, quae moraliter necessaria et apta sunt ad ius nostrum tuendum, et pertinaciam hostis frangendam, ac sine quibus ereptum ius recuperare aut intentatam iniuriam repulsare non possumus. Quo respectu, iure naturae, nulla arma et subsidia sunt prohibita, nisi quae aut ab iis sumuntur, a quibus sumi non fas erat; aut, quae ex causis iniustis, vel ultra modum, aut contra pactum usurpantur; aut quae, concurrente turpi actu morali, afferunt per se turpitudinem, velut, si quando, immixtis scortis contagiosis, rebusque forsitan magicis, hostem perdere velimus. Non vero iam loquar de aliis defendendi modis subsidiisque, quae vel a mutua hominum opera, vel a brutis, vel a fuga, aut a munimentis, petuntur. Ea potissimum intelligo, quae armis omnibusque nocendi instrumentis constant; quae partim natura suppeditat; partim prudentia et experientia hominum invenit.

invenit. A principio, dubium vix est, quin homines, instrumentis naturalibus usi, frequentissime nuda manu, unguibus, pugnibus, calcibus, moribus, corporumque colluctatione, decertarint.

*Arma antiqua manus, ungues, dentesque fuerunt;*  
cecinit Poeta. Ad obvia vero et naturalia quodammodo arma referri etiam possunt lapides, rudes, sudes, et agri colendi instrumenta. Posthaec, crescente hominum vafricitie, crescentibusque periculis, alia atque alia subsidia sunt excogitata, quibus hostes reprimerentur. Sagittae enim sunt usurpatae; deventumque tandem est ad usum aeris ferrique, et mille inducta sunt armorum tormentorumque genera. Qua de re adeundus Alber. Gentilis, *de I. B. et P. L. II, c. 7. et I. Lipsius, Poliorceticã L. III*, iaprimisque rei militaris scriptores. Sicubi vero plane nova et insolita arma primum usurpari coeperunt; illa ab iis, qui laesi sunt, plerumque parum decora et licita haberi consueverunt. Quemadmodum de catapulta primum visa Archidamus exclamavit, peririisse per eam virorum virtutem! Verum, cum iustitia non ex opinionione hominum, solisque gentium moribus; sed ex recta ratione sit aestimanda: facile patet, ex iure naturae ea arma non posse non probari, et aliis armis praeferrari, sine quibus ius nostrum aequae commode obtineri nequeat, et quae facillime et minore cum damno nostro belli finem expediant, nosque et nostros ab iniuria hostium tueantur. Etenim et illud huc accommodare licet: *quod fieri potest per pauca, ne fiat per plura.* Cuiusmodi vero arma potissimum necessaria atque accommodata sint ad vincendum hostem; prudentia militaris statuit, habita cum primis locorum temporisque, item et virium atque armorum hostilium ratione. Qua de re adeundus est Scipio Amiratus, *Discurs. III, L. II Dissertationum Politicarum*; ubi ostendit, plurimum interesse, quo armorum genere utamur in bello. Etenim, si quis hodie belli dux cum militibus suis adversus hostem omni gravium armorum tormentorumque genere instructum in aciem descendere velit, non nisi antiquo more manibus aut levioribus armis depugnaturus; ille non

solum ridicule, sed etiam, quatenus se subsque temerarie in periculum comiceret, male agere videretur. Vbi enim nova sunt genera dimicandi atque offendendi; ibi nova quoque oportet esse munimenta atque praesidia. Quo maiora ergo sunt pericula, quae a feroci et potente hoste nobis intentantur; eo gravioribus armis eadem licet depellere. Et si qua sunt arma, quae, requirente fine belli, mortis causas geminare et hostis perniciem accelerare videantur; id agat hostis, ne sua nos iniuria lacescat, sibi que ipsi praesentissima mala accersat. Quicquid enim damni in bello iusto nascitur ex usu gravium armorum noxiorumque subsidiorum; illud non ei tribui potest, qui necessitate inductus damna infert; sed qui sua culpa necessitati huic causam dedit.

### VIII.

An fortitudi-  
dini locus  
esse possit  
inter gravia  
et noxia ar-  
ma?

Equidem sunt nonnulli, qui existiment, per usum armorum gravium insignemque cladem inferentium fortitudini locum non relinquere. Quo inter alia pertinet illa vox Archidami, quam paullo ante ex Plutarchi *Apophthegmatibus* citavimus. Neque minus huc spectat, quod Lipsius de quodam Moscoviae Principe, *L. V Poliorc. Dial. V*, commemoravit. Hic enim, cum Stephanus, Rex Poloniae, munimenta aliquot lignea globis candentibus incendisset cepissetque, questus est, ius armorum belli violari, et armorum decus pollui nova fraude. At enim vero, facile constat, tantum abesse, ut huiusmodi periculosis belli instrumentis remediisque virtus interierit; ut ea hinc magis excitari videatur: cum excellentioris virtutis opus sit, magnis animis inter pericula fere praesentia versari, quam levioribus saltem armis depugnare, et potissimum corporis agilitate atque robore hostes superare. Vera enim virtus non tam armis atque corpore, quam animo, est aestimanda, et ubi vis locum habere potest. Neque etiam arma sunt, quae pugnant; sed viri: ita tamen, ut nec ipsa virtus detrectet usum et subsidia armorum idoneorum; utpote, quibus adiuvatur, et vim suam identidem feliciter exerit; (cum in primis imbecilliorum vires hac ope saepe exaequantur viribus robustiorum;) nec, si eadem

eadem aliunde gravibus armis impetitur, statim succumbat; sed velut illustriorem occasionem nacta, qua se conspiciendam exhibeat, magis invalescat, et coniuncta cum prudentia circumspiciat subinde modos ac remedia, quibus vim internecinorum malorum minuatur superetque.

### VIII.

Postquam generatim cognovimus, tum quousque vis bellica ex praescripto iuris naturae progredi possit; tum, quae et qualia arma ad illam vim exerendam adhibere liceat: nunc speciatim de natura et usu *Veneri* non nihil dicemus, ut pateat, an huic etiam locus dari queat inter subsidia bellica; et an aptum efficacique sit ad finem belli iusti consequendum? Itaque haec ipsa doctrina ostendet tertium fontem, unde argumenta decidendae huius controversiae petantur. Quo vero eo magis omnia in aperto sint; primum de nomine, deinde de ipsa natura ac *moralitate* *Veneri*, adhaec de vario eius in bellis usu, pauca edisseremus; ultimoque loco aliorum auctoritate indicabimus, an potentia *Veneri* prorsus non infringi declinarique possit?

III. Fontem decidendae controversiae constituit doctrina de natura *Veneri*.

### X.

Quod ad nomen *Veneri* attinet, illud, teste Gellio, *Noct. Attic. Lib. XII, c. 9*, antiquitus fuit vocabulum medium et anceps, quod duas inter se res contrarias significare potuit. Unde etiam Caius scripsit *l. 236 de V. S.* *Qui venenum dicit, adiciere debet, utrum malum, an bonum; nam et medicamenta venena sunt; quia eo nomine omne continetur, quod adhibitum naturam eius, cui adhibitum esset, mutat; cum id, quod nos venenum appellamus, Graeci Φάρακον dicunt.* Quod si verum est, videtur hoc vocabulum generatim notasse succum quendam medicatum, sive is medendi, sive nocendi vim habuerit; postea vero solam significationem noxiae rei retinuit. Similiter ac vox Germanica *Gift*, primum non nisi donum, seu id, quod alicui datur, significasse videtur; quod intelligitur ex cognata voce composita *Mitgift*, qua *dos* adhuc hodie notatur. At, quamvis praeter alios Cicero,

Quale nomen *Veneri*?



*in oratione pro Cluentio, & Sallustius, in bello Catalinario dixerit mala venena; aegre tamen reperias, ab ullo Scriptorum veterum, quos reliquos habemus, venenum bonum dici, aut hoc vocabulum Latinum simpliciter in laude poni. Vbique notat medicamentum noxium et exitiale; nisi quod etiam pro colore positum legatur. Vnde Ger. Io. Vossius, in Etymologico suo, vix sibi persuasum habet, esse vocem mediam; et, quamvis Isidorus, L. XII, c. 4, venenum eo dici tradat, quod per venas vadat; tamen non minus Vossio placet, ut, quemadmodum toxicum dixere ἀπὸ τοῦ τοξον, ita et venenum dicatur quasi belemum ἀπὸ τοῦ βέλεμον, telum; quoniam iam veteres sagittarum telorumque cuspides veneno imbuerint.*

## XI.

Quid sit venenum?

Sed missam facimus aliisque relinquimus nominis huius interpretationem; cui neque nos hoc loco aliam, quam vulgarem significandi vim, subiicimus. Id vero difficilimum agnoscimus, accurate definire, quid sit venenum deteriori significato acceptum; et quae huius natura sit atque efficacia? Mirum est, quantum Physici Medicique varient in describendo veneno, designandaque eius natura. Nobis nunc non licet esse tam otiosus, ut diversas scriptorum sententias colligamus. Industriam suam hac in re praeter alios iam probavit Experientissimus D. Heucherus, Medicus VVittembergensis, in *Disputatione de praeservatione Principis a veneno, A. R. S. cl. 16671 habita*. Cum vero ob insignem venenorum varietatem res difficilis et impedita existimetur, conceptu quodam generali venena exprimere velle; nobis ad praesens institutum satis est, nosse, venenum esse eiusmodi rem, quae corpori viventi et speciatim humano admota eius vires insigniter debilitet, aut, ipsa vita adempta, prorsus infringat perdatque. Ceterum, parum nostra refert, utrum venena sint arte facta, quae ad noxam alteri inferendam malis artibus praeparantur; an vero sint naturalia, quae in corporibus naturalibus, nulla accedente arte, deprehenduntur, et quidem modo in aere, modo in

in aqua, modo in terra; quae terra vel animalia, vel vegetabilia, vel mineralia venena suppeditat. Cuiusmodi varia venenorum genera laudatus D. Heucherus l.c. attingit.

## XII.

Potius fortasse operae precium faciemus, si hoc loco quaeramus, an venenum per se et sua natura sit malum? Vbi quidem omnino observandum, aliud *malum* dici *morale*, aliud *naturale*. Si itaque vel maxime concedatur, venenum per se consideratum esse malum naturale; non tamen ideo referendum est ad mala moralia; cum venenum nemo dixerit esse in genere morum. Imo, cum ipsa huiusmodi mala vel *per se*, vel *per accidens*, talia sint; venenum etiam, iudice Conrado Horneio, *Libr. III de moribus, c. 1*, saltem posteriori modo malum habetur: primo, quia hoc non est malum, nisi ei, cui damnum affert, aut quod perimit. Sed hoc non dicitur vere et per se esse malum; cum alioquin omnes res naturales contrariis qualitatibus praeditae, malae essent: nam tales sese mutuo solent interimere. Ita ignem extinguit aqua; aquam contra corrumpit ignis. Deinde, si venenum per se sit malum, iam semper tale esset. Sed dubitant, et negant ex parte Physici, ex universa natura ullum corpus afferri posse, quod omnibus aequae animalibus, vel solum omnibus hominibus, semper sit venenum? Nam saepe venenum, quod uni noxam attulit, alter impune sumit: et quod hominibus est perniciosissimum; id aliis animalibus cibum praebet saluberrimum. Denique venenum ne quidem malum naturale per se esse, ex eo ait conici, quod, cum omne tale malum corrumpat perfectionem aliquam naturalem *subiecti*, in quo proprie inest, aut eius defectum indicet; venenum tamen animalibus venenatis non tam adimat, quam tribuat, aliquam perfectionem. Etenim, sicuti cornibus tauri, leones unguibus; ita serpentes veneno, armantur, ut se tueri possint. Neque defectus est in tauro, in leone, aut in serpente, arma illa habere; licet homini malum sit, cornibus peti, unguibus discerpi, veneno necari.

An venenum sua natura sit malum?

Quam va-  
rius veneni  
usus esse  
soleat in  
bellis?

Cum itaque veneni *moralitas*, ut ita loqui liceat, ex usu et applicatione eius sit diiudicanda; nunc etiam paucis dispiciemus, quibus potissimum modis venenum in bello adversus hostes identidem sit usurpatum. Antiquissimus mos fuit, sagittas et gladios tingere toxico. Huius exempla a Getis, Scythis, Sclavis, & Indis repetiit Loccenius, *in Commentario suo ad Curtium, Lib. IX, c. 8.* Aethiopum meminit Claudianus, *Panegy. in Stilic. v. 351.* De Parthis idem canit Lucanus, *L. VIII, v. 304.* Et Strabo refert, Gallos Transalpinos lacte perniciosissimo arboris venenatae sagittas inficere. Etiam quosdam Germanorum sagittis toxico illitis usos esse, Zentgravius, *in dissertatione de armis prohibitis*, ex Baiuvariorum legibus colligit, quas Lindembrogius evulgavit. Idem mos adhuc hodie inter Indos, Turcas & Tartaros viget; quod ii, qui harum gentium mores descripserunt, facile testantur. Modum parandi toxici Scythici & Pharici ostendit laudatissimus D. Heucherus, l. c. idemque ex Spielmanno refert, inter omnia tela venenata illa eminere, quae incolae *Macassar* aliorumque regnorum in Oriente norint tam singulari arte hostibus suis in sufflatu per arundines infigere, ut, si eis cutim leviter duntaxat fauciverint, illi vulnerati e vestigio moriantur. Ipsos etiam Christianos non semper ab armis venenatis abstinuisse, et inprimis globulos tales e scloppis tormentisque misisse, ex monumentis historiarum recentium patet. Vnde etiam Germani Gallique, Anno clo lclxxv, inter se pacti sunt, ne, durante bello, globulis venenatis uterentur. Plura huius rei exempla affert Georgius Paschius, *in inventis nov antiquis, c. VII, §. 58.* Sed praeter arma venenata, etiam fontes hostium aliquando veneno sunt corrupti. Quod Florus, *L. II, c. 20,* de M. Aquilio refert, qui Asiatici belli reliquias confecit, mixtis veneno fontibus. Neque minus cibos hostium veneno infectos legimus. Sic Zentgravius, l. c. ex Fallopio, *de morbo Gallico*, refert, cum Galli Neapolin obsidione urserint, puteos venenatos, et Italos pistores corruptos esse, ut gypsum panibus admiscuerint: idemque ex Naucleri Chronographia memorat, Manuelis Comneni, Graecorum

eorum] Imperatoris, iussu, gypsum farinae admixtum esse, unde panis, quo vesceretur Germanicus Conradi III Caesaris exercitus, non sine magna Germanorum strage sit confectus. Adhaec venenatorum quoque animalium ope hostes debellatos esse deprehendimus. Sic Cornelius Nepos scriptum reliquit, Annibalem omne serpentum genus in fictilia vasa conici iussisse, interque praeliandum in naves hostium misisse. Sic etiam Herodianus, *L. III, c. 9*, scribit, Atrinos urbem suam adversus Severi, Imperatoris Romani, exercitum defendentes inter alia devolvisse vasa fictilia volucris quibusdam venenatisque bestiis oppleta; quibus in oculos involantibus, aut in apertas corporis partes sensim ebrementibus, multi hostium graviter fuerint sauciati. Imo etiam per tactum vestiumque infectionem hostes aliquando venenatos periisse scimus. Sic iam olim Hercules Oeteus, tradente Seneca, veneno interfectus est, cum sacrificium Iovi offerre vellet, et pallam a Deianira missam, Nessique Centauri sanguine imbutam, induisset. Sed huiusmodi venenandi modos, qui potius ad singulos homines, quam ad totos exercitus civitatesque applicari possunt, scientes iam praeterimus.

### XIII.

Dum vero haec de natura varioque usu veneni differere nobis libuit, haud fortasse intempestivum hoc loco foret disquirere, an veneni usus in bello tam violentus internecinusque sit, ut nulla plane ratione superari possit? Sed hanc quaestionem Medicis potius discutiendam relinquimus. Inter hos quamvis nonnulli haud dubitent, dari posse venenum, ad cuius vim compescendam nullum faciat antidotum: sufficit tamen, teste Iohanne Praevotio, insigni Medico, esse quam plurima, docente multorum saeculorum experientia, ad infringendam eluctandamque omnium propemodum virulentorum vim tam efficacia, ut etiam, non cognita veneni corpus affigentis specie, magna inde concipi possit salutis spes, lethaliumque accidentium curatio queat institui. Imo sufficit, tale venenum, si quod sit, non facile posse ita usurpari, ut eius vis

An veneni  
vis plane  
superari  
non possit?

ad

ad omnes perveniat. Igitur nunquam meminimus relatam legere, exercitum aliquem aut totam gentem veneno ab hostibus ad internecionem perditam deletamque esse; cum tamen aliis armorum subsidiorumque generibus, ceteroquin haud improbatis, populos plane extinctos historiae testentur. Certe aliquando facilius veneni damna evitari minique posse videntur, quam quae mala, hodie maxime, igneis globis tormentisque et cuniculis afferuntur.

XV.

Fons III  
decidendae  
huius contro-  
versiae  
petitur ex  
differentia  
Iuris natu-  
rae et gen-  
tium.

Ceterum, cum Grotius, *de I. B. et P. L. III, c. 4*, et plures alii, qui hunc sequuntur, in nostra controversia inter ius naturae et ius gentium distinguere soleant; nostrum esse duximus, paucis hoc loco indicare, an et quodnam sit discrimen inter ius naturae et ius gentium? Hac vero recognita, novus fons aperietur decidendae nostrae controversiae. Equidem, si, quae de hoc discrimine disputari solent, omnia iam exponenda essent; in novam, eamque longam et perquam difficilem controversiam incidere, unde nunc aegre expediremur. Interim, quantum ad praesens institutum necessarium esse arbitramur, breviter strictimque mentem nostram expromemus. Nimirum IVS NATVRAE, si quidem brevitatis causa hoc loco Pufendorfium, *de I. N. & G. L. I, c. VI, §. 18*, sequi velimus, potest ex viribus ingenii hominibus congeniti et ex consideratione humanae naturae cognosci, et cum rationali ac sociali natura hominis ita congruit, ut humano generi honesta et pacifica societas citra illud constare nequeat. Itaque nos ea etiam iure naturae licita esse dicimus, quae societati et naturae humanae non repugnant. IVS GENTIVM vero ut plurimum notat morem quendam gentibus inter se agentibus certis in actionibus servatum, tanquam congruentem societati humanae. Is vero mos vel nititur certa aliqua et necessaria ratione naturali, estque ipsum ius naturae, aut pars eius, prout ad integras gentes applicatur. Quo sensu, exempli causa, *inviolabilitas* legato-

rum.

Iuris gentium  
significationes  
praeceptivae.  
I.

rum, & alia plura, a Graecis Latinisque Scriptoribus iuris gentium esse dicuntur, cum ad ipsum Ius naturae pertineant. Vel mos ille probabilem tantum decori et commoditatis habet rationem. Quo sensu, notante Pufendorfio, *de I. B. et P. L. II, c. 3*, iuris gentium vocabulo venire solent quaedam consuetudines inter plerasque gentes, saltem quae cultiorum sibi famam vindicant, potissimum circa bellum tacito quodam consensu usurpari solitae. Scilicet ne bellatores magni sese et studium suum quaerendae gloriae bellicae nimis exponerent invidiae, usurpata omni licentia belli, specie quadam humanitatis et generositatis bellorum gravitatem temperare voluerunt. Vnde orti ritus et consuetudines eximendi certas res et personas a vi bellica, itemque circa modum nocendi hostibus, et quae alia sunt generis eiusdem. Cuiusmodi consuetudines licet videantur continere obligationem ex pacto saltem tacito ortam; tamen si quis, qui iustum bellum gerit, eas neglexerit, modo contrarium earundem per ius naturae recte fieri possit, nullius alterius peccati arguetur, quam neglecti decori; quod quis sese ad numeros velut eorum non composuerit, quibus bellum inter artes liberales habetur. Sed et referuntur huc nonnulla; quae ex iure civili in communem nonnullarum gentium usum venerunt; ideoque libere etiam a gentibus tolli possunt. Cuiusmodi exempla tradit Grotius, *de I. B. et P. L. II, c. III, n. 5*. Porro vero mos ille gentium aliquando apparente tantum aliqua honestatis aut utilitatis ratione introductus est, ita; ut a vera aequitate naturali propius longiusque recedat. Quo sensu *καταχρηστικῶς* ea iuris Gentium esse dicuntur, quae, quamvis non sint sine vitio, impune tamen sunt; cuiusmodi multas actiones recensuit Grotius, *de I. B. et P. L. III, c. 3, et sequentibus*. Primo ergo significato Ius gentium re ipsa non differt a Iure naturae; quamvis in hoc peculiare caput constitui possit, prout exempli causa de iure Parentum et de iure summorum Imperantium, similibusque, speciatim in iure naturae agi solet. Altero significato, quo quaedam consuetudines ius gentium

III

Differencia

C

tium

tium dicuntur, hoc ius ita differt a iure naturae, ut ius naturae proprie sibi iuris nomen vindicet; illae consuetudines vero, quae nullam habent vim obligandi, non nisi improprie ius vocentur. Quomodo enim ius aliquod ac lex concipiatur, cui non vis obligandi a superiore sit imposita? Quis vero gentes, quae inter se sunt aequales, obligaverit ad tales consuetudines servandas? Potius ista omnia, quae huc referuntur, ad *decorum gentium*, quam ad *ius*, pertinent; et cuiusvis populi arbitrio ac prudentiae relinquuntur, utrum eas forte certi commodi causa sequi, an aliquando negligere velint: et, qui contra huiusmodi consuetudines iure naturae non fundatas agunt, delicti atque iniustitiae argui nequeunt, uti modo innuimus. Unde; si eaedem consuetudines legum naturam ac vim induere debent; opus est, ut novis pactis corroborentur. Tertio significato, ius gentium, quo meram licentiam et impunitatem notat, tam parum dignum est nomine *iuris*, ut potius *speciosum gentium nefas* dici debeat, et ii, qui hoc iure non utuntur, longe sanctius egisse a bonis existimentur. Cum itaque inter gentes solum ius naturae verum ius constituat, et vim obligandi complectatur; apparet, proprie nullam gentium *actionem iniustam ac prohibitam* dici posse, nisi qua iuris naturae praescripta violentur.

## XVI.

Deciditur  
sententia  
generatim,  
& probatur.

Investigatis ergo fontibus rationum ad diiudicandam hanc controversiam necessariorum, non dubitamus asserere, *usum veneni in bellis iustis haud repugnare iuri naturae*, ita quidem, ut, observatis iis, quae generatim de vi bellica monuimus, prudentia atque aequitas, pro iniuriae magnitudine eiusdemque propulsandae necessitate, usum veneni, illiusque varia genera, *num. XIII* indicata, moderetur. Hanc sententiam probamus primo *ex iure bellico interficiendi hostes*, quod supra *n. III et IV* declaravimus. Iam autem, uti recte argumentatur Grotius, *de I. B. et P. L. III, c. 4, s. 15*, quem interficere liceat, eum gladio, an veneno, interimas, nihil interest, si ius naturae respicias. Deinde probamus

Argum. I.

Argum. 2.

bamus

bamus sententiam nostram *ex iure armorum et subsidiorum bellicorum*, quae ius naturae non determinat; sed ea permittit, quae faciunt ad ius nostrum tuendum et hostium vim propulsandam; uti supra §. vii ostendimus. Iam autem vim hostium veneno infringi, adeoque eius etiam ope iniurias a nobis depelli posse, nemo non intelligit. Tertio, sententiae nostrae robur adicimus *ex*

Argum. 3.

*natura veneni*; quod per se non est malum quoddam, uti *num. xii* probavimus; sed ex perverso demum usu et applicatione *moraliter* fieri malum solet. Quis vero melior eius usus et applicatio esse queat, quam cum illius ope in bello iusto ab iniuriis nos defendimus, succurrimusque publicae tranquillitati conservandae?

Argum. 4.

Denique, sicuti iam constat, iure naturae non prohiberi gentes in bellis iustis uri venenis adversus hostes; ita non minus ex iis, quae *num. xv* diximus, cognosci potest, ubicunque bella permitta sunt, licitumque est perimere hostes, ibi gentes nulla etiam alia lege his prohiberi: cum ceterae consuetudines, quae ad ius gentium referri hocque nomine insigniri solent, nullam vim habeant ita obligandi gentes liberas et inter se aequales, ut huiusmodi subsidia omittere necesse habeant. Si quando autem speciatim inter se paciscerentur gentes quaedam, se in bellis nullo veneno usuras esse; pactum hoc itidem non nisi ex iure naturae vim obligandi nancisceretur.

## XVII.

Haec sententia, quamvis rationibus satis idoneis confirmata nobis videatur: usu tamen venit, ut eam non solum viri quidam eruditissimi in dubium vocarint; sed totae etiam gentes exemplo suo improbarint, usum veneni in bellis prorsus detestatae. Verum, cum solus gentium quarundam aut plurium consensus morisque efficere non possint, ut aliquid iustum iniustumve sit: ad rationes potius nos convertimus, quibus viri eruditi hanc sententiam impugnarunt. Imo, cum non omnium rationes passim expositas nobis colligere liceat; in praesenti non nisi argumenta tri-

Haec sententia defenditur.



gae virorum eruditionis meritorumque fama celeberrimorum, ea, qua par est, modestia expendemus.

XVIII.

Argumen-  
ta Alb. Gen-  
tilis diluan-  
tur,

Primum nobis occurrit Albericus Gentilis, Professor quondam Regius in Academia Oxoniensi, vir magni nominis et de doctrina iuris naturae praeclare meritus. Hic, *Libro II de Iure Belli, c. vii*, novendecim affert argumenta, quibus probet, usum veneni in bello esse iniustum et a iure naturae alienum; quanquam in ista multitudine rationum nonnullae sunt ita comparatae, ut inviti necesse habeamus, aliquando eadem respondere. Primum ait: *Contra Alexandrum veneno usi sunt barbari, teste Iustino, L. 12. Num igitur non barbare? Hoc primum argumentum.* Sed respondemus, non omnia, quae barbari agunt, barbara aut iniusta esse; nec facta moresque gentium per se ius constituere. Confer. §. XV. *Secundam*, inquit, *rationem praebet Lucanus, ubi de Parthis:*

*Spicula nec solo spargunt fidentia ferro  
Stridula, sed multo saturantur tela veneno;  
Vulnera parva nocent, fatumque in sanguine summo est:  
Nulla manus illis, fiducia tota veneni est.*

*Ratio est, cur non liceat venenis uti, quia fatum in sanguine summo habent, et internecina sunt: mortem illico afferunt levi tactu; ut de sagittis venenatis loquitur Plinius. Ita in bellis non internecinis istus istorum usus non valeat.* Resp. In quibus bellis licet occidere homines; ibi licet uti veneno: nec vulnera ibi secundum mensuram infliguntur; ac fatius quandoque est, mortem citam levi tactu afferri. Confer §. VII et XIV. *Notemus*, ait, *tertiam rationem: quia sic armorum tollitur contentio, si nulla armorum fiducia sic est.* Resp. Ius belli nulli certo armorum generi alligatum est; sed ea probat, quae defendendis atque recuperandis iuribus nostris apta sunt. Imo, quod Vlpianus dixit, etiam venenum per vim infusum habet rationem armorum. Praeterea veneni usus armorumque contentio simul in bellis locum habere possunt.

Con-

Confer §. VII et XI. Pergit: *Notemus quartam rationem ab Ovidio, qui de Getis saepe:*

*Qui mortis sacro gement ut vulnere caussas,  
Omnia vipereo spicula felle linunt.*

*Per cruciatus necari possunt malefici, sed milites non iuste.* Resp. qui nostram salutem vitamque impetit, contra hunc etiam multiplicatis praesidiis nos defendere possumus; et, si quos inde cruciatus sentit hostis, sibi imputet, quod hanc se oppugnandi causam nobis dederit. Confer §. VII circa finem. Adhaec, quaedam venena properam quidem mortem, non vero tantos cruciatus, quantos quidem alia arma, afferunt. Confer §. XIII. *Quinta ratio est,* ait, *quod nec animalia id faciunt.* Hanc rationem cum sequenti petiit ex his verbis Plinii, *L. XVIII, c. 1. Genuit venena tellus; sed quis invenit illa, praeter hominem? Cavere ac refugere alitibus ferisque satis est. Atque cum arbore exacuunt limentque cornua elephanti, et saxo rhinocerotis, et utroque apri dentium sicas, sciantque ad nocendum se praeparare animalia: quod tamen eorum tela sua, excepto homine, venenis tingit? Nos et sagittas unguimus, ac ferro ipsi nocentius aliquid damus. Nos et flumina inficimus, et rerum naturae elementa.* Resp. Haec rhetorica est argumentatio. Multis etiam aliis praesidiis armisque recte utuntur homines, quibus tamen non utuntur animalia bruta. Haec plerumque instrumentis a natura sibi datis contenta sunt; homo, qui ingenio valet, contra vafritem et potentiam hostium plura subinde excogitat. Confer §. VII. *Sexta ratio est,* inquit, *quod iniuria fiat naturae rerum.* Resp. nulla fit iniuria naturae rerum; ut quae ipsa homini suppeditat venena. Confer §. XI. Et, quid ni liceat, etiam naturae elementis veluti praesidiis adversus hostes uti? Confer §. VII. Posthaec tres rationes colligit ex L. Annæo Floro, qui, *L. II, c. 20,* haec habet: *Aquilius Asiatici belli reliquias confecit, mixtis (nefas) veneno fontibus, ad deditioem quarundam urbium. Quae res ut maturam, ita infamem fecit victoriam; quippe cum contra fas*

*Deum moresque maiorum, medicaminibus impuris, in id tempus sacrosancta Romana arma violasset. Hinc Alb. Gentili septima ratio nascitur, infame esse, uti venenis. Testemque vocat Poetam, Silium, qui L. III, recinit:*

*Scelerataque succis*

*Spicula dirigere, et ferrum infamare veneno.*

8. Resp. praeter meritum illud infame habetur, quod nulli iuri repugnat. *Octava ipsi ratio est, esse nefas; contra fas Deum.* Resp. Sic petitur principium.
9. *Nona ratio est, esse contra mores maiorum.* Resp. Saepius monuimus, mores gentium non efficere verum ius. Conf. §. XV. Adhaec, nec nefas semper est, mores maiorum mutare. *Decimam rationem petit ex Livio, qui Libr. XXXII historiam Persei supra memoratam refert; nempe, quod hoc non sit Principum, sed latronum.* Resp. Non tam armis subsidiisque pugnandi, quam causa, latrones distinguuntur a Principibus.
10. *Ex eodem Livii loco habet undecimam rationem; quod clandestinum sit, uti venenis.* Resp. Non omnia arcana consilia occultique modi agendi contra hostem iuri naturae repugnant. Conf. § III. Praeterea nec omnis usus veneni est clandestinus. Conf. § XIII.
11. *Duodecimam rationem hanc affert, quod non sit communis exempli fideique, abstinere veneno adversus hostem, prout abstinuerit Fabricius adversus Pyrrhum.* Resp. Nec Fabricius, qui generositatis laudem captabat, necesse habebat, uti veneno; et, quae licita sunt, ea nos non oportet semper facere. *Decimam tertiam rationem statuit, quod usus veneni sit contra honestatem.*
12. Resp. Iterum sic petitur principium; aut vox honestatis plane *καταχρηστικῶς* ponitur. *Quartam decimam rationem duxit ab auctoritate et exemplo medicorum quorundam, qui asseverarunt, eum ne hostibus quidem malum medicamentum daturum, qui sacramento medicinae legitime sit obligatus.* Resp. Auctoritas talis veram rationem non conficit; et alia ratio est eorum, qui publicum idque iustum bellum gerunt. *Decimam quintam rationem*
13. *sum.*

*famfit a plurimorum philosophorum aliorumque scriptorum sententiis, & ab exemplis populorum moratiorum; quibus opponit barbarorum exempla.* Resp. Non auctoritatibus, sed rationibus firmis, disputandum: quanquam nec nostrae sententiae sua desint suffragia. Luculenter vero ostendit Celeberr. Buddeus, *in exercitatione de successione primogenitorum*, §. XI, ne omnium quidem populorum in idem placitum conspirantium consensum, si modo illos unquam consentire contingat, quod plane abnuit, evincere posse, aliquid naturae lege sancitum esse. Conferantur ea, quae supra §. XV in medium attulimus. *Decimam sextam et septimam rationem haurit ex iure civili, quod adulterum ferro, non veneno, interficere permittit; et ex auctoritate interpretum huius iuris, qui negant, quod si liceat aliquem interficere, id veneno facere licere.* Respond. Sic commiscetur ius civile et ius naturae. Multa vero, quae iure civili interdiciuntur, iure naturae omnino licita habentur. *Decimam octavam rationem petit a definitione belli; quod sit disceptatio per vim: iam autem, cum auctoritate Ulpiani venena a vi distinguantur, bellum venenis geri non debere.* Resp. Ista definitio desumpta est a potiori indole belli, quae utique vis est: interim tamen, cum non sint pugnae continuae, etiam dolus bellicus admittitur. Conf. § III. Deinde nego, nullum veneni usum ad vim referri posse. Confer. § XIII. *Ultimum argumentum illud constituit, quod adversum eos, qui veneno insidiantur, fieri nihil possit, et non possit vis humana resistere; adeoque transiliant illi bellicam rationem.* Sed ex superioribus constat, non necesse esse, hosti facultatem dare nobis resistendi; Confer. § VI. nec omnis veneni vim nulla prorsus ratione posse infringi. Conf. §. XIV.

16, et 17.

18.

19.

### XVIII.

Eandem hanc controversiam *in suis Observationibus ad Grotium de I. B. et P. p. 1409*, attigit insignis quondam Theologus,

Alio dubia diluuntur.

1. **I.** **1.** **2.** **3.**
- gus, Io. Adam. Osiander, qui contra Grotium asseruit, vetare ius naturae, veneno hostem tollere. *Quamvis permiffum fit, inquit, hostem occidere; modus tamen ille rectae rationi videtur adversus: I, quia ius divinum talem modum nescit, cui alias ius naturae consonat. In Scripturis enim legimus quidem, insidiis usos esse Duces bellicos, Abrahamum, Iosuaam et ceteros; sed veneno, spiculis istiusmodi, et infectione fontium, nusquam legimus.* Verum haud licet illo modo a Iure divino voluntario ad ius naturale argumentari; alioquin innumera essent, quae, quia in diviniore scriptura non speciatim tradantur, tum in bello, cum in pace, iuri naturae minus convenienter a nobis agerentur; cum tamen nusquam improbentur; neque ulla alia admitti possent arma, nisi quae in literis sacris describerentur. Sufficit nobis, iure divino voluntario non reici bellum; et exemplo virorum sanctorum tum vim bellicam permitti, cum *strategemata*. Sive ergo ad illam, sive ad haec, sive ad utraque, usum veneni referas; illud, nec improbante Scriptura Sacra, in bello posse locum habere, apparet. Deinde provocat Celeb. Theologus ad consensum gentium. *Ipsis, inquit, sanioribus gentibus visum est indignum homine; ergo idem etiam rectae rationi non censetur esse consonum: unde enim id habuerunt, nisi ex dictamine rectae rationis?* Verum, de consensu et exemplis gentium, non est, quod eadem saepius repetamus: quanquam fortasse plures commemorari possint, quae veneno in bellis usae sint, quam quae eodem se abstinuerint. Vt vero nonnullae gentes subsidia veneni in bellis adeo improbare coeperint; partim ex studio et cupiditate gloriae bellicae comparandae, de qua *num. XX* diximus; partim, ex prudentiae praescriptis, quae ostendit, non omnia, quae licita sunt, omni loco et tempore expedire; partim ex aliis causis, quibus mores et consuetudines velut in leges abeunt, usu venisse arbitramur.

## XXI.

Adhuc alia  
dubia ex-  
penduntur.

Denique, cum velut ex instituto hoc argumentum tractaverit excellentissimus quondam celeberrimusque Iure Consultus  
Henri-

Henricus Cocceius, in *disputatione de armis illicitis, Francofurti ad Viadrum A. R. S. cl. 1661 habita*, ibidemque venena in bellis iure naturae vetari tradiderit; rationes ipsius, quantum festinatio permittit, paucis expendemus. Paragrapho enim XXXIII: *Veneno, inquit, in hostem uti, nullo iure gentium in bellis licitum est; cum nihil in eo virtutis, nihilque sit, quo appareat, eum altero potiorum vel superiorem esse; et praeterea res foeda, improba, ac inter homines detestabilis est. Neque tamen virorum, sed muliercularum pessimarum, sunt arma; non bella, sed veneficia: nulla victoriae indoles, cum nulla re alteri praevulerit; sed mera flagitii infamia. Neque vero in bellis probari potest modus, qui nullam relinquat defensionis copiam, et omnem cavendi facultatem ita excludit, ut dignosci nullo modo queat, quis alteri potior sit.* Quibus verbis sex potissimum rationum momenta comprehendi videntur; quas sigillatim considerabimus. Primum ait, *nihil in usu veneni esse virtutis.* Verum iam supra, n. VIII, ostendimus, quemadmodum virtuti locus esse possit inter arma gravia, et noxia pugnandi subsidia; simulque monuimus, veram virtutem non armis et corpore, sed animo, esse aestimandam. Quod si in usu veneni non tam luculenter externa fortitudinis documenta deprehenduntur; idem referri potest ad prudentiam, quae vel maxime necessaria est ad gerenda bella; quaeque ostendit, quomodo, et quando, quoque loco, talia subsidia sint adhibenda. Prudentiae enim opus est, tum, quam potest minima nostrorum iactura ac diminutione ius nobis ablatum recuperare, et hostibus faciliiori modo superatis bellum finire; tum etiam pericula hinc nobis oblata nosse declinare atque imminuere. *Deinde improbat venenum, quod nihil in illo sit, quo appareat alterum altero potiorum vel superiorem esse.* At enim vero, sive illustris auctor intellexerit, per usum veneni non posse cognosci, cui superior sit causa belli, vel, quis iustiorum causam habeat; sive existimaverit, non hinc apparere, quis superior ex bello discesserit, ratio haec parum procedit. Nam idem etiam contingere potest, ubi bellantes iis armis, quae nemo improbat, inter se contenderit.

D

Ad

III. Adhaec non ex eventu de iustitia vel iniustitia belli, sed ex causis, iudicandum est. Et quidam ille etiam potior superiorque dicatur, qui veneno usus hostem iniustum eo redegerit, ut hic manus vitas dare, et ad pacis conditiones descendere sit coactus? *Tertio ait celeberrimus auctor, esse rem foedam, improbam ac inter homines detestabilem.* Verum, hoc ipsum est, de quo quaeritur. Si enim usus veneni non repugnat iuri naturae; immerito foedus improbusque habetur. Et constat, sicuti multa dantur bona apparentia, ita etiam talia posse reperiri mala: itaque non ex opinione hominum, sed ex re ipsa, esse iudicandum.

IV. *Quarto dicit, non haec virorum, sed muliercularum esse arma.* Verum iterum non ex ratione, sed ex opinione et consuetudine quorundam hominum ad populorum, argumentatur; cum tamen manifestum sit, etiam viros utiliter veneno uti posse, et inter multas gentes iam usos esse. Neque ex beneficiis privatorum hominum publica bella sunt censenda.

V. *Quinto ait, in usu veneni nullam esse indolem victoriae, cum nulla re alteri praevaluerit.* Sed, cur non haec victoria sit, ubi quis in bello ob iustam causam suscepto, hostibus veneni ope superatis ita praevalet, ut hi nocendi finem faciant, pacemque inire necesse habeant? Iam autem veneno vires ac potentiam hostium infringi posse, quis non intelligit?

VI. *Quod ad sextam eius rationem attinet, non probari in bellis modum, qui nullam relinquat defensionis copiam, supra iam num. VI sententiam nostram copiosius exposuimus.*

X XI.

Reliquum esset, ut nunc ea quoque in disquisitionem vocaremus, quae ab illustri viro argumentis H. Grotii opponuntur; sed haec, et alia huiusmodi, quae fortasse huc spectant, tempore exclusi iam praetermittimus, cum ex superioribus nostris rationibus haud aegre diiudicari possint. Atque haec ipsa causa est, cur nec postremo de Vlyssis facto nunc speciatim agamus. Certe, ut paucissimis mentem nostram indicemus, Vlysssem, venenatis armis usum, nec ius naturae violasse, nec veram generositatis gloriam iniquisse, existimamus.

COROL.



## COROLLARIA.

- I. Ius naturae non potest mutari.
- II. Omne bellum iustum est defensivum.
- III. Srategemara sunt licita.
- IV. Militis officium est bonum.
- V. Mare est domanii capax.
- VI. Praescriptio etiam inter gentes liberas locum habet.

**I**To ergo felix, HOEGERE, faventeque Phoebo,  
Plura tui studii fac documenta probes !

*Pereximio Dn. HOEGERO, hucusque convictori et inquilino suo charissimo, post publicum specimen datum, Musis Altorfinis vale dicenti prosperrima quaeque apprecatus dabit*

## PRAESES.

**D**ieichwie ein Adler zeigt/ob er noch jung und zart/  
Indem er sich getrost bis an die Sonne schwinget  
Und durch der Wolcken Heer aus allen Kräften dringet  
Die von den Ahnen her ihm angebohrne Art:  
So zeigt Er/ Werthester/ auch heute seinen Geist/  
Wie Er sich hab zu Sonn der Wissenschaft geschwungen/  
Wie Er durch stäten Fleiß und Arbeit durch gedrungen/  
Bis Er das hat erlangt/ was schönes Wissen heist.  
Fährt Er so/ Werthster/ fort/ so wird die Lorber-Cron/  
Die Themis selbstn sucht/ die Scheitel bald umschliesen:  
Den aufgewandten Fleiß und Arbeit wird verüssen  
Bergnügung/ Glück/ und Ehr/ der wahren Tugend: Lohn.  
Mit diesen wenigen Zeilen wolte dem Herrn Respondenti als seinem Werthesten Freund zu dem köblich abgelegten Specimine gratulirend und bey instehender Abreise noch ein Denckmahl seiner hinterlassen

**Septimius Andreas Merdlein/**

LL. Cult. Opponens.

Aufpi-



**A**uspiciis laetis dum pulpita prisca Sophorum  
Scandis, doctrinae signa sat ampla probas.  
Jure TVOS, HOEGERE, ausus nunc laudibus orno;  
His TV quod studiis invigilare soles.  
Ne deserte viam, coeptos absolve labores :  
Musa TIBI certo praemia digna feret.

*Paucis hisce lineolis, ex prolixo tamen affectu profectis,  
gaudium publice testari, simulque Nobilissimo clare-  
que Docto DN. Respondenti, Amico ac Contuber-  
nali suavissimo, de egregiis in literarum studiis an-  
tibus ex animo gratulari voluit*

**Joh. Matth. Schnizzer,**  
Philos. & Theol. Studiosus, Opponens.

---

**N**Vmine dum linquens Altdorffi sidera fausto,  
HOEGERE, Hallensem tendis adire viam;  
Ne quando exultæ hic, moriatur gloria mentis,  
Ingenique tui fama perire queat:  
Exeris illius dotes, dum pulpita scandis,  
Quæ sint naturæ & gentibus æqua, docens.  
Perge igitur, quibus hic cœpisti, insistere Musis;  
Sic tua doctrinæ fama perennis erit.

*Hisce pauculis Nobilissimo atque Politissimo  
Dn. Respondenti, de egregio hoc specimine  
gratulabundus acclamare, abiturientique  
hoc qualecunque *ὑπομνημα* relinquere vo-  
luit*

**Franciscus Henricus Reimers,**  
Opponens.

CONTROVERSIARVM  
IVRIS NATVRAE ET GENTIVM  
EX HISTORIA GRAECA ILLVSTRATARVM  
SPECIMEN III

QVOD

PRÆSIDE

CHRISTIANO GOTL. SCHVVARZIO

PHILOS. MORALIS ORATORIAE ET POESEOS PROFES-  
SORE PVBL. AC BENEFICIARIORVM NORICORVM  
INSPECTORE

IN CIRCVLO ACADEMICO

D. V NOVEMBER. A. R. S. c13 1500XIII

AD DISPVTANDVM PROPONIT

IOHANNES HERDEGEN  
NORIMBERGENSIS.

---

TYPIS EXSCRIPSIT

IOD. GVIL. KOHLESIVS ACAD. TYPOGR.



CONTROVERSIA III  
DE  
DOMINIO MARIS.

---

I.



Lios alia iuuant; nobis aliquando nec iniucun- *Prooemium.*  
dum est, veteres repetere controuersias,

et ea rationum momenta expendere, quae clara  
quoque ingenia exercuerunt. Certe enim sic  
sentimus atque inducimus animum, si quis in

his caussis diiudicandis confirmatus fuerit, ei nec adeo difficile fore,  
argumentorum vim accommodare ad pensandas controuersias  
generis eiusdem. Quis vero nescit, perquam multos iam ante  
hac de maris dominio disputasse, vt illud vel assererent, vel ne-  
garent, saepe prout eorum conditio, quorum caussam agebant,  
postulare visa est. Et quanquam, referente Vlr. Hubero, *L. IV.*  
*Digressionum Iustinianearum*, non nemo ex Proceribus Ordini-  
um Belgicorum, quibus tunc obtulerat Theod. Grasvinckelius  
librum suum, quo maris libertatem contra Seldeni sententiam  
vindicare instituit, non male iudicauerit, *frustra de dominio*  
*maris calamo contendi: rem armorum esse; mare eius esse, cuius*  
*acutior sit gladius*: haud tamen viri cordati iuris disputationem  
negligendam censuerunt, maxime cum ipsi populorum Rectores  
suae caussae caussam aliquam praetendere plerumque nitantur.  
Hanc autem iuris caussam cum varii scriptores diuersis modis  
tuendam susceperint; quid prohibet, quominus nos, qui non  
nisi exercitationis Academicae gratia hanc disputationem ingre-  
dimur, omni partium studio procul habito, rationes in vtram-  
que partem allatas breuiter ac in compendio repetamus, earum-

que vim ac robur libere expendamus; inprimis cum nec ipsum Virum Consulcissimum, Viricum Huberum, loco ante citato, piguerit, idem argumentum velut sub incudem reuocare: ad cuius adeo Viri rationes considerandas prae ceteris mentem nostram cogitationemque in praesenti referemus.

II.

*Exempla  
dominii ma-  
ritimi ex hi-  
storia Grae-  
ca repetita.*

In veterum Graecorum historia tot occurrunt exempla, quae de maris dominio differendi occasionem nobis dare possint, ut haec recensere nimis longum foret. Scientes prudentesque praeterimus fabulosa illa, quae de Neptuni imperio maritimo traduntur; aut de Amphitrite, quam Reginam maris a Neptuno constitutam, Oppianus, *L. I. Halieutic.* cecinit. Primum in tempore historico maris dominium apud Graecos fuisse commemoratur Minois, Regis Cretensium. Teste enim Thucydide, *L. 1.* κίνως παλαγότατ' ὦν ἀκοῇ ἴσμεν, ναυικὸν ἐκτίησατο, καὶ τῆς κῆν ἐλληνικῆς θαλάσσης Ἰππὶ πλείστον ἐκράτησε, καὶ τῶν κυκλάδων κῆσων ἤρξε τε, καὶ οἰκιστῆς πρώτ' τῶν πλείων ἐγένετο, κάρως ἐξελάσας καὶ τὰς ἐαυτῆ παῖδας ἡγεμόνας ἐγκαταστήσας, τό, τε λησικὸν ὡς εἰκὸς καθ' ἑρμὴν ὅκ τῆς θαλάσσης ἐφόσον ἠδύνατο, ἔ τας προσόδως μᾶλλον ἰέναι αὐτῶν. h. e. *Minos, antiquissimus eorum, quos fama accepimus, classem habuit, et maiorem eius, quod nunc Graecum vocant, maris partem obtinuit; subiectisque imperio Cycladibus insulis, primus complures colonias, pulsus Caribus, deduxit, et filios suos iis praefecit. Praedonibus idem, ut credibile est, mare, quantum potuit, purgavit, ut reditus sibi prouentusque tutiores et ampliores redderet.* Foret etiam ex Herodoto, Apollonio Rhodio, Diodoro Siculo, Valerio Flacco, aliisque, expeditio Argonautica referenda, dispiciendumque, quo iure Argonautae in longinquas oras profecti aureum vellus petierint, reportarintque; nisi et haec historia manca esset atque fabulis impedita. Post Minois, Cretensium Regis, tempora, Eusebii Chronicon septendecim Gentes, partim Europaeas, partim Asiaticas, enumerat, quae sibi inuicem succedentes, et victoria cessio-

cessioneque qualicumque mutantes, per complures annos, maris  
 Syriaci, Aegyptiaci, Pamphyliae, Lydiae, Aegaeique domi-  
 nium obtinuerunt; in quibus utique et Graeci populi extiterunt  
 domini maris. De quibus omnibus procul dubio plura constarent,  
 nisi temporis iniuria nobis eripuisset historiam *ἑξὶ τῶν θαλασσο-  
 κρατησάντων, eorum, qui maris dominio potiti sunt*, quam, au-  
 ctore Suida, olim conscripserat Castor Rhodius. Sed cum in-  
 terim et Io. Seldenus, *in mari clauso, L. I. c. 10. ac sequentibus*,  
 & Martinus Schoockius *de Imperio maritimo, c. III.*, multa, quae  
 huc pertinent, ex Eusebio aliisque iam recensuerint, et praeter  
 ea, quae Eusebius enumerauit, alios maris dominos ex historia  
 adiecerint; eodem recensendi labore nunc facile superfedemus:  
 nisi quod adhuc speciatim mentionem iniiciendam dueamus Athe-  
 niensium atque Lacedaemoniorum, nobilissimorum Graeciae po-  
 pulorum, qui multum diuque aliquando de dominio circum-  
 fluentis maris obtinendo inter se contenderunt. Equidem La-  
 cedaemonii, quamvis diutissime tenuerint principatum terrae;  
 sero tamen maris imperium sibi parauerunt, idque, teste Dio-  
 doro Siculo, *L. XIII*, contigit Olympiadis XCII anno I; quod vero  
 non ita multo post, Olympiadis XCVI anno II, rursus amiserunt,  
 idem aliquoties recuperare conati. Nec enim ante Persarum  
 in Graeciam aduentum legimus ullam iustam classem ab iis ad  
 bellum comparatam. Et haec ipsa, quae bellis Medicis clas-  
 sis Lacedaemoniorum erat, non ita numerosa fuit. Postea res  
 ipsa docuit Lacedaemonios, etiam classe opus esse, quum trans-  
 lata ab ipsis bella extra Peloponesum gererentur aduersus Athe-  
 nienses, Thebanos, Persas, Thraces, et alios, insulas maris in-  
 habitantes, qui classibus haud parum valebant. Imo, quan-  
 quam Graeciam tenuisse ferantur Lacedaemonii; ii tamen Athe-  
 nienses non nisi bello Peloponesiaco in suam potestatem redege-  
 runt, in eademque decem saltem annos retinuerunt, ita, ut totius  
 Graeciae principatum annos tantum decem tenuisse, vere  
 dici possint. Atque sic intelligendus Isocrates, *in Panathenaeica sua*:

Μάλιστα μὲν ἐπιπέσειν ἂν ἴς δωηθεῖν καλῶν, ὅσω ματριώτερον  
 καὶ πρῶτον, ἡμῖς τῶν πραγμάτων ἐπεμελήθημεν· δεύτερον δ',  
 ὅσα ἔρηθασθεοι μέλλοντες. Σπαρτιάται μὲν γὰρ ἔτη δέκα μόλις  
 ἐπασάτησαν αὐτῶν, ἡμῖς δὲ πέντε καὶ ἑξήκοντα συνεχῶς κατέχομεν  
 τὴν δέχνην. *h. e. Imprimis hinc perspicere quispiam possit, quanto  
 nos moderatius et clementius omnia gesserimus. Secundo vero  
 ex eo etiam, quod dicitur: Spartani enim vix imperium annos  
 decem tenuerunt; nos autem, continuos quinque et sexaginta.  
 Qua de re audire licet Io. Meursium, L. III Miscellaneorum Laco-  
 nicorum, c. X. Quod ad Athenienses attinet, etiam hos ait  
 Thucydides, L. I, ante Xerxis expeditionem paucas habuisse na-  
 ves, seroque tandem in bello adversus Aeginetas, Themistoclis  
 consilio, naues instruxisse; postea tamen tantum sibi maris do-  
 minium parasse, ut etiam naues ab iis, qui hostes fuerant, sum-  
 serint, iisdemque certa imperarint stipendia. Quo et illud per-  
 tinet, quod de Timotheo, Atheniensium Duce, commemorat  
 Cornelius Nepos. Corcyram, inquit, sub imperium Athenien-  
 sium redegit, sociosque idem adiunxit Epirotas, Athamanas,  
 Chaonas, omnesque eas gentes, quae mare illud adiacent. Quo  
 facto, Lacedaemonii de diutina contentione destiterunt, et sua  
 sponte Atheniensibus imperii maritimi principatum concesserunt,  
 pacemque his legibus constituerunt, ut Athenienses mari duces  
 essent. Imo, et Pausaniae, Lacedaemoniorum Ducis, culpa atque  
 prauitas causam praebuit, ut ciues sui maris imperio excuterentur.  
 Contra Aristidae, Atheniensium ducis, perspecta a sociis  
 in administrando imperio solertia et integritas, tum humanitatis  
 erga illos, quibus praecerat, tum virtutum omnium declaratio-  
 ne; id effecit, ut uno omnes nutu voluntates ad obsequium A-  
 theniensium inclinarent; quo factum, ut citra ullam periculi  
 aleam, imperium maris obtinerent. Quae refert Diodorus Sicu-  
 lus, Lib. XI, p. 266.*

### III.

Neque inter ipsos solum Graeciae populos dominium huius-  
 modi

modi probatum ; et a diuersis diuerso tempore exercitum *Speciale*  
fuit ; verum etiam a Persis agnitum est, qui tunc rebus Orientis *exemplum*  
potiebantur, idque in foedere illo nobili post Cyprum ab *dominii ma-*  
Atheniensibus debellatam icto. Nimirum, referente Diodoro *ritimi ab A-*  
Siculo, *L. XI, p. 292*, Olympiadis LXX anno III, (A. M. 3502.) *theniensibus*  
Athenienses Cimonem in maritima Asiae traicere iusserant, vt *aduersus*  
*Persas vin-*  
dicati.

fociis vrbibus auxilium ferret, et, quae Persicis adhuc praesidiis tenebantur, in libertatem vindicaret, Persarumque copias nauales, quae mare circa insulas Chelidonas infestum reddiderant, coerceret, reprimeretque. Vbi quidem Athenienses focii-que, Cimone duce, terra marique cum Persis, prospero vtrinque euentu conflixerunt, totamque hostium classem, quae CCCXL triremium fuerat, in potestatem suam redegerunt, captis insuper XX millibus virorum, et memorabili pecuniae summa. Persae hac insigni clade affecti, triremibus aliis, et quidem ampliori numero construendis operam dederunt, atque paullo post bellum Aegyptiis intulerunt. Pro quibus Aegyptiis cum Athenienses invocati parum feliciter rem gessissent, nauibus omnibus in Profopitide amissis ; breui tamen interiecto tempore, Olympiadis XCII anno III, Persis bellum mouerunt, vt Graecis ciuitatibus in Asia sitis opem ferrent, earundemque libertatem affererent. Quod consilium etiam tunc felicissime cessit. Cimone enim duce, hostes victi fugatique sunt, et tota Cyprus in eorum potestatem venit. Quibus cladibus adeo fractus est Artaxerxis, Persarum Regis, animus, vt inter Athenienses et Persas his legibus foedus ianciretur : 'Αυτονόμος ἕναι τὰς κατὰ τὴν Ἀσίαν ἑλληνόδας πόλεις ἀπείστας, τὺς δὲ τῶν περὶ τῶν Σατραπείας μὴ καταβαίνειν Ἰππὶ θάλατταν κατωτέρω τελευτῶν ἡμερῶν ὁδόν, μηδεὺς ναῦν μακρὰν πλεῖν ἐπὶ τὸς Φασήλιδον, καὶ Κυανίων. H. e. ut Graecis per Asiam ciuitatibus uniuersis libertate ac suo iure uti permitteretur ; nec Satrapae Persarum trium dierum itinere inferius ad mare descenderent : nec longa naui intra Phaselidem et Cyaneas, excurreret. Quae ubi Rex et militiae praes-



praefecti rata habuerunt, Athenienses contra iurabant, se in provincias Artaxerxis arma non expedituros. Haec quidem Plutarchus, in *vita Cimonis*, p. 487, paullo aliter literis prodidit; interim tamen etiam illius nobilis foederis mentionem fecit, ostenditque, pactum fuisse Regem Persarum, *se semper a mari Graeco curriculum equi (h. e. XL stadia) abstenturum, neque inter insulas Cyaneas et Chelidonias longam navem, vel rostratam, habiturum.* Quod etiam Isocrates in Panathenaica orat. confirmat, ubi de Atheniensium imperio maris locutus refert, per hoc non licuisse barbaris *μακροῖς πλοίοις ὄπι τάνδον πλῆν Φαηλίδος*, *longis navibus citra Phaselidem navigare.* Unde animadverterunt viri eruditi, Regi Persarum toto tunc abstinentum fuisse mari Aegaeo, Rhodio, Carpathio, Lydio, et quod inde in Occidentem versus Athenas vergit; ipsumque naue bellica usum, neque in mare Pamphylium, citra Chelidonias Insulas, neque in Pontum citra Cyaneas, ex foedere admissum esse.

#### IV.

*Instituti  
praesentis  
ratio expo-  
nitur.*

Quaquam ergo hinc intelligamus, ex Graecorum rebus gestis non pauca exempla dominii maritimi, saepius armis vindicati, repeti posse; (quo vero iure, quae semper iniuria, pluribus demonstrare nobis nunc minus vacat; neque etiam, per vetustae historiae deliquia, ubiuis licet;) nos tamen potissimum ad ea, quae ultimo loco de dominio maritimo Atheniensium adversus Persas vindicato, exposuimus, in praesenti respiciemus, disquisitioni: I. *An tunc Athenienses revera Dominium maris habuerint?* II. *An iure sibi huiusmodi dominium acquisiverint?* III. *An illud ipsum imperium recte retinuerint, conservarintque?* Prius vero, quam aggrediamur id, quod instituimus, nec inutile, nec intempestivum erit, generatim declarare, quid de DOMINIO MARIS sit sentiendum; nisi enim ea cognoscatur maris conditio, ut illud recte in dominium ire, aut imperio possideri possit; frustra de singularum gentium iure maritimo disceptaretur. Atque hoc ipsum est,

est, cuius causa huius exercitationis instituendae consilium cepimus. Quia vero nostrae rationes non ferunt, ut omnem argumentorum, etiam Iuissimorum, apparatus, quae a diuersis scriptoribus in utramque partem allata sunt, huc congeramus; historiam huius controversiae breviter repetitam praemittamus, ceteros scriptores, qui hac de re inter se disputarunt, indicaturi, ut plura scire cupientes habeant, quo aliunde desiderium suum explere possint.

V.

Cum sub principium superioris saeculi inter Hispanos et Belgas, qui tunc inducias paciscebantur, de Indicorum libertate commercio, in quorum partes venire volebant Belgae, Hispanis illud ius sibi solis tribuentibus, multum contenderetur; anno 1609, primum prodiit libellus, cui titulus: *Mare liberum*, suppresso quidem nomine, sed auctore Viro celeberrimo, Hugone Grotio, qui liberam ad Indos navigationem, nec divino, nec humano iure, Belgis foederatis interdici posse ostendere voluit. Qui liber uti deinde aliquoties recusus, tituloque auctoris insignitus, in manus hominum venit; ita ipse auctor sententiam suam de dominio maris latam postea in maiori opere de Iure Belli et Pacis, *Lib. II c. II & III*, non modo uberius illustravit; sed etiam quodammodo correxit, certisque velut limitibus circumscriptis. Diu nemo quicquam contra moverat; vsque dum inter Magnae Britanniae Regem et Ordines foederati Belgii grauis quaestio existeret de imperio vicini maris: qua occasione Io. Seldenus, Iure Consultus eruditionis laude clarissimus, anno trigesimo quinto saeculi proxime praeteriti, pro Britannis de MARI CLAVSO edidit libros duos; quorum primo generatim mare ex iure naturae et gentium non esse commune omnium hominum, sed dominii capax, pariter ac tellurem, demonstravit; altero, potentissimos Britanniae Reges maris circumflui, ut perpetuae Imperii Britannici appendicis, dominos esse, asseruit: propterea quod, iudicante CL. Buddeo, in

*brevis historia controversiae de dominio maris agitatae. ejusque prima oratio.*

*historia iuris naturalis*, Britannorum forte interesse putauit, vt ad Batauorum commercia intra angustiores limites coercenda, gentibus eiusmodi quid persuaderetur. Quamuis ergo iam ante Grotium Ferdinandus Vasquius, *Controvers. illustr. L. II, c. XXXIX*, docuerit, esse contra ipsum ius naturae et gentium primaeuum, quod mutari non possit, maria et aequora facere propria; neque minus Albericus Gentilis, homo Italus, in Anglia tunc degens, *L. I Aduocat. Hispan. c. 8*, vniuersum Oceanum Britannicò sceptro afferuerit: tunc tamen demum, vbi insignes illi Reipublicae literariae Duumviri, Grotius et Seldenus, argumento hoc ex instituto magis pertractato, veluti signum sustulerant, ea de re inter eruditos passim publice concertari coeptum est; vti Boeclerus, in *Comment. ad Grotium de I. B. & P. L. II c. II*, et Io. Andreas Bossius, in *Introductione ad notitiam rerum publicarum*, itemque Io. Franc. Buddeus, in *historia iuris naturalis*, n. LIX, pluribus ostenderunt.

VI.

*Continuatio  
motae huius  
controuer-  
siae.*

Equidem recentiores quidam, qui Iuris naturae scita explicarunt, non tam in partes iuerunt, quam ab harum studio alieni, (dummodo nec aliquando aliis praeiudiciis occupati,) sententiam sibi probabiliorem saepe proposuerunt, et ex primariis huius argumenti scriptoribus non pauca repetuerunt, ampliusque diduxerunt, vixi sibi etiam ex hac controuersia in veritate inuestiganda, amplificandaque Iuris naturalis doctrina, proficere posse. Ceterum, Grotii sententiam contra Seldenum tuendam suscepit IO. ISAACVS PONTANVS, Danorum et Geldrionum insignis historicus, qui in *duobus discussionum historicarum libris, Harderwic, A. 1637 editis*, expendere voluit, quatenus et quodnam mare liberum, vel non liberum accipiendum sit, ita tamen, vt nominatim Danis Norvegisque iura quaedam, quae Seldenus Britannis tribuere visus erat, vindicatum iret. Seldenum etiam refutare publice ab Ordinibus Belgii iussus fuisse dicitur THEODORVS GRAS-

*Quinam  
a partibus  
Grotii ste-  
terint?*

VVIN-

VVINCKELIVS, Iure Consultus Delphensis, cuius liber quanquam, aliis pro illorum temporum statu istam disputationem forte disuadentibus, minus tuac ederetur; postea tamen eius *vindiciae maris liberi* maxime aduersus Io. Bapt. Burgum et Guil. VVelvodum conscriptae, et crebro deinde a Io. Palatio vellicatae, in lucem prodierunt. Quibus addatur VL-  
RICVS HVBERVS, Supremae Frisiorum Curiae Ex-Senator, et ICtus celebris, qui tum in *Digressionibus Iustinianeis, Dissect. IV, c. 13, 14*; tum in *Praelectionibus ad Institutiones, Lib. II, Tit. 1*, asserere non dubitauit, *dominium maris totius, aut praecipuarum partium*, cum hoc effectu, vt rus sit Principi, vel populo, alios prohibere, quo minus piscentur in eo, nauigent, aquam hauriant, conchas et naufragiorum reliquias colligant, *nec esse, nec fuisse, nec esse posse.*

VII.

Ex aduerso a Seldeni partibus non pauci steterunt, domi-  
niumque maris comprobant. In his fuit SERAPHINVS de FREITAS, qui *de iusto Imperio Lusitanorum Asiatico aduersus Grotii mare liberum* Pinciae, 1625, scriptum quoddam euulgauit. Eminet etiam in hac controuersia PETRVS BAPTISTA BVRGVVS, qui, anno c1o 1oc xli, duos libros edidit *de Dominio Genuensis Reipublicae in mari Ligustico*; ita tamen, vt, quae in priore libro exposuit, generatim retulerit ad asserendum quoddam maris dominium. Sed et, defendendae Seldeni sententiae causa, GVILIELMVS VVELVOD emisit, Hagae, c1o 1oc xxiii, *Affertionem breuem ac methodicam de Dominio maris, iuribusque ad dominium praecipue spectantibus.* Scripsit praeterea MARTINVS SCHOCKIVS *Imperium maritimum*, in quo cuique genti, maxime Belgis foederatis, suum vindicare voluit honorem. Adhaec CLAVDVS BARTHOLOMAEVS MORISOTVS in *orbe maritima* primum generatim quaedam de maris dominio delibauit; deinde, quae ad Hispanorum, Lusitanorum, aliorumque

*Quinam cum Seldeno asseruerint seruitutem maris?*

populorum , imperium maritimum sibi facere visa sunt , specia-  
 tim exposuit. Tum extat IACOBI GOTHOFREDI *Hy-*  
*pomnema de Imperio maris , ad L. 9. Digest. de lege Rhodia de*  
*iactu* , in quo ostendit , Romanos imperium maris apud suas  
 ditiones sibi vindicasse , idque iure se et exemplo aliorum po-  
 pulorum facere putasse. Composuit quoque IOANNES PA-  
 LATIVS duos libros de *Dominio maris* , Venetiis , A. c15  
 156 LXIII , editos , in quorum priore maris seruitus ingenti  
 argymentorum farragine asseritur ; in posteriore dominium  
 Venetae Reipublicae in mari Adriatico non paucis rationibus  
 confirmatur. Neque nihil huc faciunt alii Scriptores , qui par-  
 ticularia regnorum rerumque publicarum dominia comproba-  
 tum iuerunt . Habetur IVLII PACII *de dominio maris*  
*Adriatici disceptatio*. Legitur Epistola FRANCISCI DE  
 INGENVIS *de Iurisdictione Sereniss. Reipublicae Venetae in*  
*mare Adriaticum , aduersus Ioh. Baptistam Valenzolam* , *Hispa-*  
*num* , et *Laurentium Motinum* , Romanum , qui *iurisdictionem*  
*illam impugnaverant* , A. c15 156 xix *perscripta*. Laudat Pa-  
 latius etiam PETRVM ZAMBONIVM , *de mari Adriatico* ,  
 et Burgus RAPHAELEM A TVRRE , qui *Epistolam* scripsit  
*ad Vincentium Marchionem Iustinianum de maritimo Genuensis*  
*Reipublicae dominio*. Versatur etiam in eruditorum manibus  
 M. ZVERII BOXHORNII *Apologia* , Seldeni libro de mari  
 clauso alicubi adiecta , *pro Navigationibus Hollandorum aduer-*  
*sus Pontum Heuterum* , qua praecedentium saeculorum nauig-  
 gationes , earumque iura et instituta , ex tabulis praesertim pu-  
 blicis asseruntur. Cui apologiae accessit quoque *Tractatus mu-*  
*tui commercii et navigationis inter Henricum VII. , Regem An-*  
*gliae* , et *Philippum* , *Archiducem Austriae* , Londini A. c15 cccc  
 XCV *confirmatus*. IOACHIMVS HAGEMEIERVS ,  
 qui *variorum dissertationes de Imperio maris* collegit , et , A.  
 c15 156 LXIII , Francofurti ad Moenum typis exscribendas cu-  
 ravit , in praefatione commemorat , cum anno xxxvii supe-  
 rioris

rioris saeculi ex mandato Serenissimi Daniae et Norvvegiae Regis duae naues, quas ad Serenissimum Poloniae Regem pertinere affirmarint Spiringii, Hafniam captivae fuerint abductae, propter exactum telonium non procul a portu Dantiscano; peculiarem libellum *de mari Baltico* Poloni cuiusdam scripto oppositum fuisse; in quo Daniae Regum iura in illo ipso mari, maxime autem circa littora Prussiae, fuerint recensita. Nescio, an non etiam huc referre debeam IO. LOCCENII *tres libros de iure maritimo et navali*; et FRANC. STYPMANNI, Gryphisvaldensium Iureconsulti, *tractatum de iure maritimo et nautico*, ab Antonio Gunthero Frizio completum, et Stralfundi c10 Ioc LXI editum? quorum neuter ius commerciorum maritimarum, nisi hac controuersia attacta, explicare potuit. Quemadmodum vero Loccenius dissensum scriptorum cum primis conciliare tentauit; ita Stypmannus quidem, capite quarto primae partis, reiecta Seldeni sententia, ex parte Grotii argumenta tuetur; interim tamen pro Suecorum iure maritimo gnauiter propugnat. THOMAS vero RIVIUS in *tribus libris historiae naualis mediae*, pleraque Seldeni argumenta, in compendium misit. Iam si ad Academias respicere vellimus; nec ibi defuerunt, qui Disputationum Academicarum ambitu hoc argumentum iam sint complexi. Cui non nota est IO. STRAVCHII, Iure Consulti Salani, *dissertatio de Imperio maris*? IO. FRID. BOECLERVS, non solum in *disputatione de Minoe*, A. R. S. c10 Ioc LVI, habita, de dominio maris egit; sed eadem fere argumenta commentario suo, quo Grotii Librum de Iure Belli et Pacis illustrauit, inseruit; vt nunc alios Grotiani operis commentatores praeteream, qui modo pressius Grotii vestigia secuti sunt; modo ab iis aliquanto recesserunt. Neque HERMANNVS CONRINGIUS satis habuit, in *Libro II de Finibus Imperii Germanici*, hanc controuersiam illustrasse; sed eandem etiam in *dissertatione* Aca-

mica, A. R. S. cIo IocLxxv, pertractauit. Adhaec, nec CONR. SAM. SCHVRZFLEISCHIVS, clarissimum orbis literati nomen, dubitauit, in Academica disputatione aliquam *maris seruitutem* asserere, ita quidem, ut distinxerit medias Oceani partes ab extremis, et quae propius absunt a terra; hasque vindicandas esse imperio; ad illas fortasse maris imperium minus porrigendum existimauerit. Denique nec praetermittenda est dissertatio, quae apud nos, praeside Viro meritissimo, B. ROETENBECCIO, Anno cIo Iocxcix, de eodem argumento habita est. Quanquam vero omnes scriptores, qui in hac controuersia versati sunt, vulgo in eos diuidi soleant, qui affirmant, et qui negent dominium maris; si quis vero illorum scripta euoluat, facile intelligat licet, eos accuratius in plures diuidi posse classes. Alii enim in uniuersum omnem negant maris seruitutem; alii eam seruitutem solum ad partes et diuerticula interni maris referunt; alii mare etiam sub ratione praecipuarum, earumque externarum partium, in proprium ius abire posse, statuunt; alii adhuc latius progrediuntur; alii denique nomen quidem dominii odisse; sed rem ipsam complexi esse, videntur.

### VIII.

*An mare uniuersum dominii sit capax?*

Verum, defessi fere tot recensendis scriptoribus, propius ad institutum nostrum venimus, statuimusque, *mare omnino dominii capax esse, non solum internum, sed etiam externum; nec hoc tantum ratione partium terrae et regionibus vicinarum; sed etiam respectu Oceani a terris remoti.* Quam sententiam priusquam rationibus adductis planam faciamus, et ad speciale exemplum nostrum accommodemus; quasdam obseruationes ad explicandam illustrandamque controuersiam facientes praemitteremus.

### IX.

*Obseru. I de nomine maris, dominii et imperii.*

Quemadmodum vero iam patet, nos in hac controuersia per nomen *maris* non particulare tantum; sed etiam uniuersale mare,

mare, prout a nonnullis diuiditur, velle intelligi; ita per *dominium* ea ratione, quam paulo post luculentius definiemus, *possessatam in rem propriam* significamus. Et quamuis haud ignoremus, Iure Consultos plerumque *dominium* ab *imperio* distinguere, atque in hac ipsa controuersia aliud *imperium maris*, seu *ius in mari* aut *iurisdictionem maris*; aliud *dominium maris*, seu *ius in mare*, non male dici posse; imo a quibusdam quidem *imperium maris*, neutiquam vero eius *dominium* admitti solere: nos tamen, tam *imperii*, quam *dominii* ratione, mare proprium fieri posse, existimamus: imo, aliorum exempla secuti, haud veremur ista aliquando inter se miscere, adeoque promiscue vsurpare; neque minus eadem ratione mari *proprietatem* atque *seruitutem* adscribere; quanquam nos haud fugiat, eas voces ex strictiori Iure Consultorum vsu distinctius explicari solere.

## X.

Deinde obseruandum est, nos in hac generali quaestione de iure *dominii maritimi non in hypothesis*, prout illud hodie a nonnullis Populis Principibusque vindicatur et exercetur; sed *absolute* et in *thesi* loqui, ita, vt generatim asseramus, dari posse iustum maris dominium; postea vero, veteri quodam Atheniensium exemplo ostendemus, quomodo absoluta huiusmodi consideratio ad *hypothesin* conuerti accommodarique possit. Ceterum, quemadmodum facile damus, istiusmodi controuersias de maritimo, eoque speciali gentium dominio, et lubricas aliquando periculosasque esse, et non parum difficultatis habere, cum non nisi perspecta iuris natura, cognitisque gentium rebus gestis, accurate possint decidi: ita generalior consideratio, quanquam non adeo impedita videatur, haud tamen prorsus otiosa est atque superuacua; vtpote quae fundamentum debet esse omnis de hoc argumento disputationis, adeo, vt nisi generatim constaret, mare dominio iure posse subiici, de singularum gentium iure maris ino frustra disputaretur.

*Obseru. II*  
*de confide-*  
*ratione do-*  
*minii mari-*  
*timi absolu-*  
*ta et hypo-*  
*thetica.*

## XI. Prae-



## XI.

*Obseru. III  
de differen-  
tia inter ins  
et utilita-  
tem domini  
maritimi.*

Praeterea notandum est, aliter de hoc argumento disputa-  
tari ex ratione status; aliter, ex capitibus iusti et aequi. Illa  
disputatio potissimum ad prudentiam politicam; haec ad iuris  
naturalis scita pertinet. Quae adeo non sunt confundenda;  
provt in hac controuersia saepe contigisse animaduertimus. Mut-  
ta enim aliquando occurrunt, quae licita habentur, et quae ali-  
qua respublica, nullo repugnante iure, suscipere, agereque  
posset; attamen eadem haud aequae pro diuerso rerum statu  
semper reipublicae rationibus conducunt. Vnde vsu venisse in-  
telligimus, vt nonnunquam idem populus, qui antehac pro  
libertate maris acriter propugnauerat, alio tempore eius seruitu-  
tem approbauerit, dominiumque maris omnino iustum praedica-  
uerit; propterea quod forte illud sibi magis tunc utile esse intel-  
lexit; cum tamen ex solis his rationibus de iure generatim non  
sit argumentandum.

## XII.

*Obseru. IV  
de generali-  
bus fontibus  
argumento-  
rum ad  
banc con-  
trouersiam  
pertinen-  
tium.*

Adhaec, nec illud praeterrittendum est, frustra a mul-  
tis, qui non tam pondere, quam numero argumentorum, ni-  
ti videntur, operam infumi, dum huiusmodi gentium controuer-  
sias ex *iure civili* atque *canonico* decidere conantur. Neque  
enim haec sunt vniuersalia iura, quae omnes omnino gentes  
obligent, earumque actiones moderentur, atque controuersias  
dirimant. Iam vero, quod ait Boeclerus, *in Praef. Comment.  
ad Grotii l. B. et P. p. 35*, supremas potestates priuato iure suas  
regi controuersias nec patiuntur fere, nec pati aliquando pos-  
sunt. Quanquam ceteroquin facile demus Iure-Consultis, vt  
leges sententiasque Iuris civilis huc spectantes, data occasione,  
explicent, atque interpretentur. Quod vero ad *ius diuinum  
voluntarium* attinet; id, recte monente H. Grotio, *de l. B. et  
P. l. 1, c. 1, §. 17*, eum semper nobis praestat vsu, vt, quae-  
cunque in diuinioribus literis praecipuntur, aut permittuntur,  
ea non esse contra ius naturae, certo intelligamus; propterea,  
quod

quod ius naturae est perpetuum et immutabile, nec quicquam a DEO, qui iniustus nunquam est, aduersus illud praecipit potuit. Ex quo cognoscitur, quo consilio etiam in huiusmodi controversiis sacrae scripturae testimonia afferre liceat.

### XIII.

Referenda ergo haec controuersia est ad ius naturae, illud perpetuum et commune gentium vinculum. Verum cum, do-  
 cente H. Grotio, *de I. B. & P. L. l. c. l. n. 10*, et eadem repetente Pufendorffo, *de I. N. et G. L. II, c. 3. n. 12*, quaedam iuris naturae non proprie dicantur; sed, ut loqui solent, *reductiue*, quibus scilicet ius naturae non repugnat; (sicut iusta quoque appellantur, quae iniustitia carent;) hinc tenendum est, dominium maris haud secus, ac dominium aliarum rerum, non nisi *reductiue* ad ius naturae spectare. Etenim, absoluta quadam naturae lege maris dominium neutiquam sancitum atque praecceptum est; sed neque etiam, quae non nullorum opinio est, vetitum deprehenditur; id quod postea planum faciemus. Interim tamen, si maris dominium, ob frequentiore[m] navigationis & commerciorum usum, maioris securitatis & commoditatis causa introducitur; ius naturae hoc ipsum maris dominium, pariter ac ceterarum rerum dominia, magis, quam communio-  
 nem, approbat, suadet, confirmat, atque legibus suis moderatur. Hoc adeo sensu dominium maris recte iuris naturalis esse dicitur. Ceterum, neque illud hinc obscurum est, cur nec iis facile, qui dominium maris; nec iis, qui communem eius usum, iuri naturae repugnare negarunt, argumenta satis luculenta deesse potuerint.

*Obseru. V de iure naturae, quomodo ad id pertineat dominium maris.*

### XIV.

His praemissis, iustitiam domini maritimi ex eo probamus, quod, quicquid generali notione iusti & legitimi aliarum rerum domini continentur, id ad mare etiam recte possit accommodari. Illa ipsa enim de dominio rerum doctrina caput est huius controversiae definiendae. Sumimus vero nobis in prae-

*Probatur dominium maris l. a generali notione iusti domini.*

senti, dari omnino in hoc terrarum orbe iusta quarundam rerum dominia. Id enim nunc copiose probare velle, idem foret, ac soli velle lumen affundere. Hoc vero saltem demonstrare volumus, cum aliarum rerum iusta dentur dominia, nullas satis idoneas rationes afferri posse, cur mare non aequae, ac aliae res conditae et a Deo usui hominum destinatae, humano dominio subesse debeant. Quo vero omnia magis in aperto sint, atque ut constet, quicquid generatim faciat, ut aliarum rerum iusta extent dominia, id etiam maris dominium efficere iustum posse; nunc sigillatim et per partes ostendemus, dominium maris ratione et primaeuae originis, et finis, et formae, et *obiecti*, et modorum acquirendi atque conservandi, et denique ratione effectuum, cum aliarum rerum iusto dominio generatim conuenire, neque adeo iuri naturae aduersari.

## XV.

*II. Speciatim probatur 1. ex conuenientia cum primaeua origine & sine introducti dominii aliarum rerum.*

Primo ergo ad eandem primaeuam originem referri potest dominium maris, ad quam ceterarum rerum dominia referuntur. Equidem, quicquid fere extra diuiniorens literas de primaeuae originis statuatur, non nisi *hypothesis* quaedam est: nihilominus tamen, cum auctores quidam existimauerint, se ex *hypothesi* huiusmodi posse iusta rerum dominia introducta demonstrare; haud idoneam attulerunt causam, cur mare hinc exemerint. Si enim, quae nonnullorum sententia est, ponamus, ab initio fuisse omnium rerum communionem; deinde vero propter meliorem usum dominia rerum diuisa et pacto constituta esse: certe ostendi non potest, quodnam privilegium maris extiterit, quo minus illius dominium inter se diuidere potuerint, et adhuc possint homines, cum et mari ad commoditatem suam uti queant, prout infra dicemus. Sed longe rectius diuina oracula docent, omnis dominii primam originem repetendam esse ex diuina concessione, cum DEVS primis humani generis Parentibus, quos condiderat, facultatibus

cultatem dedit, rebus creatis ad sui conseruationem vtendi. *Genes. I, 28. Gen. IX, 2. Psalm. CXV, 16.* Quae facultas non solum pertinet ad terram; sed etiam ad mare. Id quod ipse agnovit Pufendorfius, *L. IV. de I. N. c. V. §. 10.* *Illud manifestum est, inquit, concessioni diuinae, qua homini ius in terram capessendi imperium fuit indultum, etiam mare adiungi. Aequae dicitur: dominamini piscibus maris, quam animalibus terrestribus.* Cui hominum facultati rebus conditis vtendi (quae *dominium vniuersale* non male dicitur, et fundamentum habetur omnis domini particularis;) in rebus responderat *proprietatem vniuersalem*, quae est fundamentum omnis proprietatis particularis. Ex hoc enim dominio vniuersali deinde velut per consequentiam fluxerunt dominia particularia, quae absque illo fundamento vix recte intelligerentur. Qua de re videre licet Celeberr. BVDDEVM, in *Theologia morali, P. II, c. III, Sect. V, §. 15, 16.* & Consulitissimum TITIVM, in *observat. CCLXXXVI ad Pufendorf. de O. H. et C.* Quemadmodum vero facile cognoscitur, auctum genus humanum, propter plurimorum avaritiam, voluptatem atque temeritatem, non diu subsistere potuisse in primaeuo eoque vniuersali terrae terrestriumque bonorum dominio; sed, introductis dominiis particularibus, securitati atque tranquillitati omnium fuisse consulendum; ita haud videmus, quapropter non eadem caussae ad constituenda maris dominia valuerint, aut adhuc valere possint, maxime vbi plures populi de maris commodis inter se contendere coeperunt, et vbi, multiplicatis iis, qui mari ad vtilitatem suam frequentius vtuntur, communis eius vsus multo ineptior sit ad conseruandam societatem tranquillam, quam constituta eius singularia dominia. Neque enim per haec turbatur, sed defenditur tranquillitas humani generis, multoque magis vsus maris promouetur; haud secus, ac, dominiis introductis, terra diligentius coli coepta est. Neque sic impediuntur, sed tutiora redduntur, certoque ordine velut circumscribuntur commercia;

quorum usum haud magis oceani, quam terrae, dominium intercludit.

## XVI.

2. ex convenientia formae domini iusbi aliarum rerum.

Nunc ad formam domini considerandam progredimur, exploraturi, num in hac aliquid insit, quod in mare minus conveniat, ita, ut hinc maris dominium negari recte possit? Incredibile dictu est, quantum in definienda Domini forma differant Iurium Doctores. Multi autem eo saltem animo atque consilio, ut maris proprietatem negarent, de dominio disputarunt, eiusque naturam nimis arctis limitibus aliquando circumferipserunt, nec aliam fere domini rationem agnouerunt, quam qualem forte in acquirendis custodiendisque nummis suis ipsi deprehenderunt. Qui accuratius in hac doctrina versantur, distinguunt primum inter *dominium* et *proprietatem*; neque id male: nam *dominium* est *ius personae in rem propriam*, seu, prout Grotii sententiae convenienter describitur, est *ius de re corpora libere disponendi, nisi lex et conventio obset*. Et pertinet dominium ad *potentiam activam*, prout Logici loquuntur; cui in rebus respondet *proprietas*, quae, definiente Cl. Buddeo, in *Elementis Philosophiae*, est *qualitas moralis rei ita ad aliquem pertinentis, ut eodem modo in solidum non pertinet ad alterum*; atque haec refertur ad *potentiam passivam*: adeoque non *dominii*; quod quidam volunt, sed *proprietatis essentia* collocanda est in *plena rei alicuius ad aliquem pertinentia*. Interim, cum haec duo ita ad se invicem referantur, ut, posito isto iure in hominibus, ipsa proprietas in rebus adesse; et, cessante illo iure in hominibus, proprietate quoque in rebus cessare, intelligatur; fieri solet, ut *dominium* et *proprietate* per figuram pro se invicem ponantur. Notio ergo *dominii* modo suppositata satis clara videtur, et experientia confirmatur, dum nosmet ipsi sponte intelligimus, nos tunc vere quarundam rerum, exempli causa, librorum, dominos esse, si de iis ius libere disponendi, hoc est, ius eorundem habendorum, utendorum, alic-

alienandorum, atque vindicandorum, nobis competat. Satius enim saepe est in morum doctrina, ex complexu qualitatum, aut effectuum, formam atque naturam rei colligere; quam obscurioribus artis terminis eandem efferre. Unde nec Zieglerus, in *animadversionibus ad Grotium*, p. 244. necesse habuit, ex eo capite huiusmodi carpere definitionem, quia censuit, in ea effectus dominii, eiusque formam, confundi. Quae cum ita sint, nihil generatim in forma aut dominii, aut proprietatis, deprehenditur, quod non ad dominium atque proprietatem maris possit accommodari. Doceat enim historiae, quasdam gentes nauali potentia mare et occupasse et tenuisse, et pro commodi sui rationibus frequentasse, et aduersus turbatores vindicasse, aut, pro rerum conditione, ius suum in alios populos transalisse: quae infra pluribus declarabuntur.

## XVII.

Sequitur, ut de rebus dicam, quae idoneae habentur, aut haberi debent, ut sub proprietatem eant. Hic si ad mentem reuocemus naturam vniuersalis dominii, cogitemusque, DEVM hominibus facultatem dedisse, rebus conditis ad sui conseruationem atque commoditatem vtendi, ita tamen, ut in iis ordinandis disponendisque sic versentur homines, prout humani generis conditio ac tranquillitas, bonique ordinis studium requirat; facile apparet, etiam particularibus dominiiis, quae fundantur in illa vniuersali facultate diuinitus concessa, subiectas esse posse *res conditas quaslibet, quae humana opera in hominum conseruationem atque commoditatem conuertere queant.* Nec enim ratio reperit, nec diuiniore literas indicant, quidnam huiusmodi rerum necessario non debeat dominio comprehendere; adeo, ut et ipse aer, et calor, et lumenque solis, quatenus humana opera in vsum nostrum conuertuntur, et, quatenus rebus nostris continentur, ex sententia subtiliorum Jctorum, non ab omni dominio eximantur. Videatur D. Simon, in notis ad Grotium, *L. II, c. II.* Vli. Huberus, *de Iure Civitatis*, *L. II, Sect. VI.* &

*3. ex conueniente qualitate obiecti ad dominium recipiendum apti.*

D. Titius, in *Observat. 287. ad Pufend. de O. H. & C.* Ergo multo minus mare hinc eximetur; quod in hominum usum atque commoditatem conuerti posse, manifestum est, et paullo post probabitur. Sed qui, antecepta animo opinione, de dominio commentati esse videntur, a generali illa rerum, quae Dominio subiici possint, conditione recesserunt, et specialiora requisita commentum illud dominium arctioribus limitibus circumscripserunt, ut

*Quaerensita ubi ad recipiendum dominium capacis.*

mare domini non capax esse ostenderent. Tria requiri ex parte rei ad dominium constituendum docetur, in *Iurisprudencia diuina L. 11, c. X, §. 123, seqq.* Primum, ut res usum aliquem hominibus mediate, aut immediate, possit praebere. Deinde, ut res non praebet natura sua usum omnibus hominibus sufficientem citra periculum dissidii. Denique, ut res ipsa apprehensioni et custodiae hominum aliquatenus sit obnoxia. Quae requisita quamuis eiusmodi sint, ut non in vniuersum ad omne dominium necessaria deprehendantur; et quamuis eadem fere iam a Pufendorffio, *L. IV, c. V, de I. N. et G.* eo consilio allata fuerint, ut hinc negaretur oceani dominium; attamen, tantum abest, ut illa tria requisita reuera aduersari putemus huic ipsi dominio, ut illud inde magis illustrari atque confirmari credamus.

*An mare usum praebet hominibus?*

Primum enim, quis nescit, mare praebere usum hominibus? Piscatio certe atque collectio rerum in mari nascentium egregiam sane utilitatem afferunt. Sic exempli causa Iohannestius, *L. IV Rerum Britann.* scripsit, *piscationem Batauis ad Orcadas esse subsidium belli aduersus Iberos, fundamentum vectigalium, commentum militum, solatium annonae, fontem innumerabilis pecuniae.* Et quanta commoda non affert nauigatio, dum mare veluti viam praebet nauigantibus ad alia loca atque insulas, vnde, quae ad commercia pertinent, afferuntur. Quemadmodum ergo viarum domini esse possunt, ita et maris, si vel ex hoc usu

*An usum praebet omnibus citra periculum dissidii?*

spectetur. Taceo, mare etiam munimenti loco esse posse regionibus maritimis. Sed quantuscunque usus est maris, non ille tamen absolute est inexhaustus; hoc est, mare non praebet ex

omni

omni parte vsum omnibus hominibus sufficientem, citra periculum dissidii. Quis enim non videt, piscationem, et collectionem rerum pretiosarum minui posse, plurium gentium concursu? Quis non intelligit, omnibus maris partibus cuius patentibus, accolis maris vel maxime occasionem damni dari posse, eorumque interesse, ut certa maris dominia constituantur? Quis non animadvertit, mare etiam, quatenus saltem velut viam praebet atque aditum ad alias terras, quas certus populus sibi vindicat, et vnde commoda sua quaerit, non necessario debere omnibus patere, maxime, a quibus vis atque damnum sit metuendum; sed dari posse casus, vbi ius prohibendae nauigationis per mare iisdem ex causis alicui possit vindicari, quibus ex causis ius transitus per terras iuste vindicatur, nec quibusuis temere aperitur. Adhaec istum omnem maris vsum, quem commemorauimus, in frequentiori gentium concursu, facile occasionem dissidii dare, et natura hominum et experientia satis testantur. Denique, quod *An mare* mare sit apprehensioni et custodiae hominum obnoxium, *apprehen-* infra *sioni et cu-* ex modis acquirendi tuendique domini maris constabit, *stodiae bo-* apparetque, illud non *physice* solum, sed *moraliter* etiam possideri *minum sit* posse, quantum ad dominium iustum constituendum satis sit; *obnoxium?* dummodo id teneamus, non omnes res eodem prorsus modo, ac quidem prout a iure ciuili aliquando determinatur; sed quamlibet rem ista ratione, quam naturae ipsius conditio permittat, occupari et possideri solere. Quanquam ergo has tres rerum condiciones, quas ad constituenda dominia quidam requirunt, non ex omni parte necessarias esse ducamus; propterea, quod per se nihil prohibeat, quo minus et ea propria habeamus, quae nullum afferant vsum; (quanquam, ipso fatente Celebrissimo Thomasio, forte difficile sit, eiusmodi rei plane inutilis exemplum proferre); et quod res tantae magnitudinis et abundantiae, vt ad omnium vsus sufficiat, multo facilius rectiusque possit per partes occupari citra cuiusquam iniuriam, quia semper tantum supersit, quantum aliorum vsibus satis sit; denique, quod



quod etiam possimus aliquid iure et sine peccato proprium habere, cui tuendo et custodiendo per nosmet ipsos impares simus: nihilominus tamen contra eos, qui huiusmodi condiciones ad omne dominium requirunt, ex illis ipsis recte argumentari atque probare posse videmur, mare omnino esse domini capax, quia vsus egregium humano generi praestat, nec vero ex omni parte hunc vsus praestat omnibus hominibus sufficientem, citra periculum dissidii, et quia potest occupari pariter atque certis modis custodiri,

### XVIII.

4. ex conuenientia modorum acquirendi tuedique domini aliarum rerum.

Multo haec rectius intelligentur, si cognouerimus, modos domini acquirendi atque tuendi vniuersales etiam ad mare accommodari posse. Vniuersales vero, siue generales modos sciens dico; ne, quod frequenter fieri solet, ad iuris naturae disputationem necessario referantur modi ciuiles, atque solummodo speciales. Incongruum enim foret, negare maris dominium, propterea quod illud fortasse non eo prorsus speciali modo comparetur atque custodiatur, quo pecuniam aliquis sibi acquisuerit, seruaueritque; cum et in ipsa terra aliae quoque res non eadem plane ratione acquirantur, atque seruentur. Quaelibet enim res, vt recte animaduertit ipse Pufendorfius, *de I. N. et G. L. IV, c. V, §. 3*, occupatur et possidetur, quem naturae illius conditio admittit. Equidem, vt idem autor monet, *quo arctius aliqua res velut claudi et circumscribi potest; eo facilius effectus proprietatis aduersus alios obtinentur: nihilominus tamen, non statim aliqua res a proprietate est exempta, abs qua non ita commode aliorum manus possunt arceri.* Num vero ad lucrum faciendum interfit, quaerere et tueri res, quae non nisi magnis impensis, multoque labore quaeri defendique possint; id non tam ex iuris disquisitione, quam ex politicis rationibus, est conficiendum. Quanquam ergo nunc nominatim debeamus recensere atque expendere modos illos omnes, quibus maris dominium et acquiri et retineri recte dicitur; tamen ad praesens institutum nobis satis est, saltem ostendi

ostendi posse, vnum alterumue modum, qui omnium consensu ad constituenda terrae dominia pertinet, etiam in parando et tuendo maris dominio locum habere. Peruulgatum est, *modos domini acquirendi* ut plurimum diuidi in *originarios* et *deriuatiuos*: illos vocari, per quos in rem aliquam primum proprietates introducitur; hos autem, quibus dominium constitutum ab vno in alterum transfertur. Iam autem, censente Grotio, *L. II, c. 3, §. 1. Originaria acquisitio olim fieri potuit etiam per diuisionem; nunc per occupationem tantum.* Non disputo nunc de istis modis; sed id mirari subit, cur ii, qui dominia rerum per diuisionem aut occupationem primum introducta statuerunt, concedere noluerint, etiam mare diuidi et occupari potuisse; cum tamen aequae sit res corporalis, et libero hominum vsui diuinitus destinata. Etenim, ut maxime termini aliqui in (copulis, insulis, aliisque locis ipsius maris non sufficiant; possunt tamen illi ex coelo et eius circulis definiiri, et iam aliquando definiti sunt a quibusdam populis per pacta; qui termini aequae certi sunt, atque alii in terra limites. Nec de vera et efficaci maris occupatione ambigat, qui tot exempla maris exercitu maritimo occupati secum reputet. Et, si primi homines non statim occuparint, et inter se diuiserint mare, quia vel incognitum illis fuit, vel quia eius vsus nondum satis intellexerunt; quid impediatur, quominus sequentes, quibus maris rationes magis cognitae fuerunt, idem occuparint, aut adhuc occupent; cum nunquam exspiret illa facultas diuinitus concessa? Ad cuiusmodi occupationem non equidem solus animi actus, neque etiam sola classis per mare transiens sufficit, ut quae aliquando de imperio illius maris sibi vindicando nihil cogitare potest: sed necesse est, ut cum animi actu actus quoque externus coniungatur, atque ipso vsu ipsaque vindicatione occupatio declaretur. Quod ad modos acquirendi domini *deriuatiuos* attinet, longe minus dubium superesse videtur. Annon enim iuri consentaneum, et ex innumeris exemplis manifestum est, quosdam populos, vel quos

D

non

non magnum inde usum sibi promitterent, vel quia alium populum beneficio aliquo sibi deuincire voluerunt, vel ex aliis etiam rationibus, iure suo sponte cedere, idque in alios per certa pacta transferre potuisse; vel etiam intermisso perquam diu iuris sui usu, nec eo aduersus alios vindicato, cum vindicare potuerint, quasi sponte ipso sese abdicasse, adeoque aliis ius vsucapionis dedisse; quosdam denique propter illatas aliis iniurias, iusta vi & vindicta, iure suo, quo antea in mari utebantur, exutos esse; eodem modo, quo victor, deuicti bona et regiones occupans, sibi illa iure armorum vindicat. Neque vero in huiusmodi casibus necesse est secundum ius naturae, ut dominium semper a possessione corporali incipiat; cum aliquando ipsa pacta dominium, quatenus ius est in proprietatem, in alios transferre valeant. Nec praeterea ius naturae ullam designauit maris partem, quae non huiusmodi modis possit occupari, atque dominio comprehendij. Quo plures autem acquirendi dominiij modi et causae in vno populo concurrunt, (concurrere autem plures possunt;) eo plus iuris et dominiij in mari idem populus praeter alios sibi acquisuerit. Non male enim, ceteris paribus, Io. Palatius, *L. de dominio maris*, p. 100: *Quid fieret, inquit, si alter Macedo, aut alteri Quirites totum fere vincerent orbem; tunc esset occupatio fere totius, et hinc dominium.* Certe, minimum hinc intelligitur, totius oceani dominium non per se et sua natura repugnare iuri naturae; cum dari possit casus, vbi quis citra iniquitatis notam maris dominus existat, si id, exempli causa, fiat ceteris populis nullo modo impediendis, aut de iure suo, quod ante forte habuerant, ex certis rationibus sponte cedentibus, aut etiam iustas ob causas inde exclusis. Hi enim modi acquirendi dominiij vel in ipsum oceanum, vel in magnam eius partem, omnino non iniusti forent. Occupatum vero mare etiam retineri et aduersus alios defendi posse, multarum item gentium exempla probant, quae usum maris sibi vindicarunt, sui que iuris turbatores viriliter repulerunt. Iam autem illi ipsi, qui contra maris dominium,

minium disputant, fatentur, eum possidere continuo, qui ita rem  
 tenet, ut alius eo invito tenere non possit. Quamquam vero  
 ordinario modo iisdem fere artibus, quibus patatur hoc domi-  
 nium, etiam retineatur atque possideatur, ita, ut quis vires suas  
 explicet ad tuendum, quod nactus est, dominium; quod in mari  
 maxime per naues armatas fieri potest: attamen non semper ad  
 retinendum maris dominium requiritur classis actu per mare va-  
 gans, nec amittitur eius possessio, sola abeunte classe maritima,  
 sine animo derelinquendi; sed etiam illud ius aliquando potest  
 animo retineri, et efficaciter animo retinetur, dummodo, ubi  
 necesse est, vindicatio eius sese exerat. Etenim, uti ad posses-  
 sionem rerum immobilium atquirendam non sufficit sola apprehen-  
 sio et incubatio corporalis, neque etiam solus animus sibi  
 habendi; sed ut utrumque concurrat: ita naturae conveniens  
 est, ut ad amittendum talium rerum dominium non sola desertio  
 apprehensionis et custodiae corporalis sufficiat, sed ut etiam si-  
 mul adsit animus derelinquendi. Adhaec per dominium non  
 intelligitur mera facultas physica; sed quatenus ius est, quali-  
 tas moralis et potestas in rem propriam, prout supra describe-  
 batur: quod quidem ius per facultatem naturalem maxime vim  
 suam exhibet, neque tamen illico desinit, si forte aliquando de-  
 sinat corporalis rei possessio. Neque praetera defectus facul-  
 tatis physicae moralem statim extinguit facultatem, fatente ipso  
 Pufendorffio, *L. IV, c. V, §. 6, de I. N. et G.* Qui vir celeberrimus  
 cum totius oceani custodiam vni populo *moraliter impossi-*  
*ibilem* esse dicat, vix satis intelligitur, eum illa custodia magis  
*physice*, quam *moraliter impossibilem* videri queat. Interea  
 tamen magna potentia utique praesentissimum est praesidium  
 maris in domini potestate tuendi detinendique. Quot vero spe-  
 ciatim modis legitimus maris dominus suum ius aduersus hostes  
 tueri, et illatas sibi iniurias vel per se, vel per alios, terra ma-  
 rique prosequi possit, prudentum politicorum rationibus potis-  
 simum declaratur.

5. est conue-  
nientia effe-  
ctuum do-  
minii maris  
cum effecti-  
bus domini-  
alium rerum.

Restat, ut etiam de effectibus domini maritimi non nihil dicamus. Quod si enim effectus testantur de causis; hoc quoque loco dominium maris ostendi potest, si tales actus in mari a certis populis exerceri deprehendamus, qui absque domino fieri non possent. At breuitatis studium neque hic quidem nobis permittit, ut omnes domini effectus recensamus. Praecipui sunt, facultas re libere utendi ac non utendi, et ius excludendi alios ab eius rei usu, aut certe praescribendi certum usus modum, certamque conditionem. Qui posterior effectus tam luculentus tamque proprius est dominio, ut quidam in eo solo, sed minus accurate, ipsam domini formam atque naturam collocarint, putarintque, ac si semper actu, aut certe prohibidine domini, alii sint arcendi, cum tamen etiam, usu rei aliis aliquando concessio, domini ius saluum esse possit; et cum dominium per se nullum ius det, ut aliis innoxium rei nostrae usum debeamus denegare. Etenim, quod bene monuit Kulpisius, in Collegio Grotiano, Exercit. III, n. 3. rigor domini sine societatis restrictus est et temperatus, duplici iure, necessitatis ac innoxiae utilitatis. Quarum ergo rerum ea natura est, ut secundum certos usus, sine domini damno aliis seruire possint, ab istis usibus illi non temere sunt arcendi; adeoque si tunc alii admittantur, non statim alterius dominium amissum iudicari debet: contra vero, ubi promiscuus aliorum concursus utilitatem nostram prorsus euertat, illi recte possunt arceri. Iam si haec ad mare accomodemus, cum eius domini effectus maxime circa usum versentur, qui navigatione et piscatu potissimum continetur; quis non intelligit, utrumque hunc usum a maris domino iuste aliquando aliis posse interdici, aut etiam non nisi certis conditionibus permitti; dummodo ne officia innoxiae utilitatis temere praetermittantur, quae, saluo domini iure et usu praecipuo, aliquando longe facilius per mare, quam per alias res, aliorum usu mox corrumpeudas, praestari posse censentur. Sic

vero

vero hostis navigatio iure impeditur ; quid enim magis est secundum naturam , quam se tueri , et hostes de suis finibus arcere ? Sic etiam armata navigatio Principis amici non permittitur absque speciali venia , haud secus , ac exercituum per terrestria itinera transitus , ad pacem seruandam , remouendamque suspicionem . Imo , sic inermis ac pacata navigatio , quae in primis nostra commoda minuit , aliquando recte interdici , aut legibus vectigalibusque certis subiici , potest . Cum enim ratio talia permittat domino privati fundi ; eadem haec , pro rerum conditione , multo minus denegabuntur Principi territorii . Quae vberius exposuit *Petrus Baptista Burgus , de dominio Genuensis Reip. in mari Ligustico , L. I , cap. XVIII.* Actum vero agerem , si haec omnia nunc exemplis comprobarem , quorum infinitam fere copiam ex omnium temporum memoria congesserunt , qui in hoc argumento explicando praeceteris sunt versati . Ipse Grotius , acris alioqui libertatis maritimae propugnator , non potuit non profiteri , *de I. B. et P. L. II , c. III , §. 14, 15* , et vectigal nauigantibus in mari ex certis causis imponi posse , et pacta inter gentes saepissime inita fuisse , quae populum aliquem ultra certos terminos vetuerint nauigare . Quemadmodum ergo peregrinus atque hospes in omni rerum historia sit oportet , qui nesciat , et olim frequentissime contigisse , et adhuc fieri , ut quidam populi aliquas maris partes sibi vindicent , alios nauigantes istis prohibeant , vt transituris opus sit venia , aut eis certos terminos definiant , aut vectigalia imponant , aut recognoscendi domini ergo a praeternauigantibus exigant , vt summa dimittant vela : ita credi vix potest , existere quosdam , qui vel serio negent , haec esse signa et veras tesseras atque effectus domini maritimi ; vel qui non intelligant , cum natura maris talia admittat in diuerticulis et aliquibus partibus , eandem nec in partibus aliis , adeoque nec in vniuerso oceano , dominio per se repugnaturam .

XX.

Cognitis igitur argumentorum fontibus , quos digito velut intento , magis ostendimus , quam aperuimus ; tum id , quod proposui-

*Deciditur  
controversa.*

mus, tum similia controuersiae exempla, haud aegre explicari posse videntur. Dum enim in ea quaestione, quae est de Atheniensium

*I. Athenienses tunc domini maris fuerunt.*

dominio maris, tempore Cimonis, primum quaeritur: *An tunc Athenienses reuera tenuerint dominatum maris*, prout supra, n. III, in fine, indicatur? non est difficile, illud affirmare. Si enim, quod antea probauimus, is alicuius rei dominus est dicendus, qui illam rem occupauit, modo eius naturae conueniente, occupatamque ita tenet, vt ea ipse libere utatur, nec eo inuicè alii uti possint: non video, cur nec Athenienses fuerint maris domini dicendi, qui classe maritima in Graeco mari tunc ualuerunt, et aliis potius nauigandi leges praescripserunt, quam ipsi acceperunt; et qui cum primis ab istius maris usu Persas valide arcuerunt.

## X XI.

*II. Athenienses tunc iure sibi maris dominium acquisuerunt.*

Neque dubium fere est, quin Athenienses iuste tunc maris Graeci dominatum tenuerint. Primum enim, quemadmodum supra ex *L. XI Diodori Siculi* ostendimus, ipsi Graeci vno nutu voluntates ad obsequium Atheniensium inclinarunt, ut hi, ductu et virtute Cimonis, citra omne periculum maris principatu potirentur. Id quod etiam Isocrates confirmat, *in Panathenaeico*: *ὁ προσαχθὲν ὑφ' ἡμῶν τὰτ' ἐποίησεν, ἀλλὰ καὶ αὐτοὶ γινόντες ὅτι τὴν ἡγεμονίαν ἡμῖν τὴν κατὰ θάλασσαν ἔδοσαν.* h. e. *Nulla edicto nostro, sed suo potius decreto (ciuitates Graeciae) id fecerunt, quom maris imperium nobis offerrent.* Et quanquam respectu Graecarum ciuitatum foedere iunctarum, hoc maris imperium non nisi *ἡγεμονία τῆ ναυτικῆ*, aut principatus et regimen rei maritimae, fuisse videatur; eius tamen utique magna vis fuit, ita, vt, teste Isocrate, loco citato, ii, qui maris imperio potirentur, omnes fere ciuitates dicto audientes vectigalesque haberent. Vnde, referente Thucydide, de Bello Peloponnes. L. I. *Ἀθηναῖοι δὲ ναῦς τε τῶν πολεμίων τῶ χρόνῳ ὀφθαλμαβόντες ἔρχον πλὴν Χίων καὶ Λεσβίων, καὶ χρημάτων τοῖς πᾶσι τὰξαντες φέρον;* h. e. *Athenienses etiam naues ab iis sociis, qui hostes fuerant,*

rant, pro imperio sumserunt; praeterquam a Chiis et Lesbiis, et stipendium certum omnibus imperarunt. Quae certe ad vim domini non immerito referri possunt. Sed luculentius adhuc illa vis domini maritimi sese exeruit aduersus Persas, Graeci nominis hostes. Aduersus hos enim cum Athenienses ciuitatibus Graecis in Asia sitis, et Persica potentia oppressis, suppetias misissent, duce Cimone; accidit, ut fortissime vincerent Persas, ac cumprimis hos a mari depellerent, dominiumque Graeci maris iure belli sibi vindicatum, solenni foedere, quo vinculo nullum firmiter sanctiusque inter gentes esse potest, confirmarent atque stabilirent. Itaque & consensus Graecorum, et ius belli victoriaeque, et foedus, tituli et causae fuerunt iusti Atheniensium in mari Graeco domini.

## XXII.

Denique, si et illud quaeritur, an Athenienses partem maris dominium iure retinuerint, conseruauerintque; id, quantum ex historia constat, omnino affirmare licet; quanquam res illae per summam potius, quam per singulorum notitiam momentorum, ad nos plerumque peruenerunt. Quod enim ad imperium maritimum inter Graecos attinet, illud, computante Isocrate, annos continuos LXV obtinuerunt. Etenim, quod ex Diodoro Siculo, *Libr. XI*, discimus, istud virtute Aristidis consecuti erant Olympiad. LXXV, 4; quod tempus, ex rationibus Bucholceri, refertur ad annum clc clc clc cccc xcv ab orbe condito, vel ante Christum natum, ad annum cccc LXXVI. At vero, ubi ob res in Sicilia male gestas, viresque fractas, contemni coeperant, Olymp. xxi, 1, quod tempus conuenit in annum ab orbe condito clc clc clc clc lx, vel ante Christum natum, in annum cccc xi, illud imperium ad Lacedaemonios delatum est. Iam autem, si fides habenda est Isocrati, in *Panathenaeo*, ob eam ipsam causam, quod moderatius et clementius imperio vsi sint Athenienses, diutius rei maritimae principatu defuncti sunt; propterea quod ciuitates aliis subiectae diutissime in eorum fide perma-

III. Athenienses maris dominium aliquandiu iure retinuerunt.



permaneant, a quibus minimis malis afficiantur. Nos tamen nolumus ea omnia excusare, quae in illo imperio aliquando intemperantius egerunt Athenienses. Aduersus Persas autem maris Graeci dominium iure belli sibi vindicatum, recte feliciterque aliquandiu retinuerunt. Ex quo enim cum victis Persis foedus icerant, ea lege, ut Persae abstinere a mari Graeco, neque armata naui intra Phaselidem et Cyaneas excurrerent; ipsi quoque Athenienses, qui contra iurarent, se in prouincias Persarum arma non expedituros, his pactis satisfecerunt, et, referente Diodoro Siculo, L. XII, copias victoriae tam fortiter partae et foederis tam utiliter confecti gloria insignes, inde abduxerunt. Illud autem nobile foedus ictum fuit Olymp. XXCII, 4. (A. M. 3523.) cum Cimon Olymp. LXXVII, 3, prima vice cum exercitu in maritima Asiae traicere iussus fuisset. Qui vterque annorum numerus, supra minus accurate exscriptus fuit. Quomodo vero Athenienses ius suum in mare Graecum iure belli atque foederis insigniter confirmarant; ita eodem pro lubitu visum sunt, nec exigua tunc potentia nauali valuerunt, inprimis quamdiu dexteritate Cimonis, ducis, vterentur; ut, si opus esset, ius illud vindicarent; quae optimae retinendi conseruandique domini rationes habentur. Hinc Isocrates, loco saepius citato, scripsit, sub Atheniensium imperio (*ἔτι τῆς τῶν Ἀθηναίων δυναστείας*) non licuisse Persis, neque pedestribus copiis intra Halyn fluuium descendere, neque longis nauibus intra Phaselidem appellere. Et Plutarchus, in vita Cimonis, circa finem, ait, Persarum ne tabellarium quidem descendisse, nec equum citra quinquaginta millia passuum a mari conspectum esse, duce Cimone; ab huius vero factis Graecos a concionatoribus et belli facibus in se mutuo versos, quum intercesserit nemo, in bellum exarsisse, ac laxamenta rebus Regis Persarum dedisse, exitium vero opum Graeciae inuexisse supra quam dicendo exaequari possit graue. Quod tunc cum primis accidit, cum Lacedaemonii tria foedera cum Persis aduersus Athenienses iniissent, quibus Graecae ciuitates

tates in Asia, quibus antea imperitauerant Athenienses, Persarum imperio permiserunt.

### XXIII.

Postquam ergo haec declarauimus, et generatim maris <sup>Argumenta</sup> dominium existere, haud secus ac aliarum rerum dominia, nec <sup>Haberi ge-</sup> iuri naturae aduersari; et speciatim Atheniensium in mari Graeco <sup>neratim</sup> verum istumque dominium fuisse: instituti nostri ratio exigit, <sup>contra do-</sup> vt nunc etiam ad ea, quae vtrique sententiae opponuntur, <sup>minium ma-</sup> paucis respondeamus. Non repetam omnium argumenta, <sup>ris.</sup> quibus dominium maris oppugnatum iuerunt. Ab aliis ea iam ita sunt discussa, vt potius quid demum, quam quid addi possit, appareat. Breuitatis studio, nunc ad HVBERI, celeberrimi Iure Consulti, rationes conuertimur, qui, quicquid dominio maritimo obici possit, velut compendio quodam complecti, et noua quadam ratione vrgere, videri voluit. Id non solum egit in *Digressionibus Iustinianeis*, L. IV, cap. 13, 14, 15, 16; vbi sententiam suam paullo fusius exposuit; et in *Praelectionibus ad institutiones Iustinianicas*, L. II, Tit. I, p. 113, vbi eadem fero, sed breuius, repetit: sed etiam in *Libro II de Iure Ciuitatis Sect. IV, c. 3*, vbi, cum antea imperium, non vero dominium maris, concessisset, aliquatenus a priori sententia recessit; et vtrumque mari denegauit. Omnem vero argumentorum vim ad duo potissimum capita reduxit, quae a Grotianis argumentis non prorsus sunt aliena. Mare enim nunquam fuisse diuisum aut occupatum, neque occupari et dominio subiici aut potuisse, aut etiamnum posse, I inde demonstrat, *quod in mari cesset ratio, per quam* <sup>Argum. L.</sup> *dominia instinctu studioque pacis et necessitatis distingui oportuit.* Ait enim, *mare toti humano generi promiscue sufficere, nec capere opera permanentis industriae, quae auctores sibi vindicare debeant: cum reliquae res a singulis diuidi et teneri oportuerit, eo, quod omnes pariter ad usum sui non admitterent, et quod labor suus cuique prodesse deberet.* At enjmuero, nos, inuerso potius argumento, supra, n. XV, demonstrauiamus, maris dominium non solum ad eandem causam et originem, nempe ad di-

vinam concessionem ; sed etiam ad eundem finem , nempe in magna nauigantium frequentia, ad meliorem et securiorem vsum, et euitanda gentium dissidia, referendum esse, aequae, ac allarum rerum dominia referuntur : neque mare velut priuilegio quodam munitum esse, quominus , quatenus vsum praebeat hominibus , proprietatis leges subire debeat, Et quanquam etiam ex dominis rerum , quae alioquin praesidia tranquillitatis esse debent, quaedam incommoda per accidens oriri soleant ; nemo tamen non intelligit, longe maiora et certiora esse incommoda, quae in magna vventium populorum frequentia ex-promiscuo et prorsus communi vsum sunt metuenda. Equidem primum ait, *mare toti humano generi promiscue sufficere* : at quam parum hoc procedat, supra n. XVII ostendimus. Neque enim hoc de omni vsum genere, cuius respectu gentes quandam proprietatem maris sibi vindicare nituntur, exempli gratia, respectu piscationis, itineris atque accessus ad certas regiones atque commercia, verum est. Quodsi enim mare omnibus omnino sufficeret, nec eius vsum exhauriri, et commoda inde prouenientia plurimum subinde concursu minui possent, cur multae gentes tanto apparatu tantaque contentione maris dominatum sibi vindicatum fuissent ? Deinde vero ait Huberus, *mare non capere opera permanentis industriae, quae auctores sibi solis vindicare debeant.* Sed hoc nouum et ab auctore, suae sententiae firmandae gratia, excogitatum est dominii requisitum , multo angustius, quam vt ad omnium rerum dominia possit accommodari. Annon enim erediderit, etiam esse sponte nascentia, quae, quamuis nulla indigeant industria humana, tamen propria certis hominibus possint vindicari ? Aut, si omnino nihil potest dominio comprehendi, nisi quod capiat operam industriae humanae ; an mare prorsus expers est omnis industriae humanae, eiusque quodammodo permanentis, dum a certis populis nauigabile et securum redditur, dum per ignes nocturnos, et breuium signa, nauigatio iuuatur, dumque, inuento commodo transitu, nauigantibus velut via primum aperitur ?

Alterum Huberi palmarium argumentum aduersus maris *Argum. II.* dominium est, quod illud *ob vastitatem et fluiditatem occupari nequeat, nec possessionem recipiat.* Id ipsum ille repetiit ex Grotio: quae vero ad illud diluendum facere possint, supra etiam, *n. XVIIII*, iam attigimus. Mare enim, quamuis sit vastum, non tamen est infinitum, utpote cui DEVS terminos suos posuit. Terra primum etiam videbatur vasta, et tamen occupata est. Mare, si ob vastitatem non ab vno occupari potest, occupetur per partes a pluribus. Neque eius fluiditatis natura obstat dominio; alias nec fluuiorum, nec aliarum rerum fluxarum, darentur dominia. Non particularum aquae diffluentium domini cupiunt esse populi; sed ipsius maris, quatenus id vsu praebet: cuius partes, quae diffluunt, cum continua et interrupta successione aliarum semper compleantur, mare, maxime respectu loci, semper haberi solet pro eodem; eademque ratione vsui nauigantium inseruire potest, qua stata tellus inseruit iter terrestris facientibus. Quod ad *possessionem* attinet, ita argumentatur IureConsultus: *Quae res non recipit possessionem, ea nec domini capax est iure gentium: Sed mare non recipit possessionem; Ergo nec capax est domini.* Maiorem putat claram esse, quia *naturalis causa et iterum effectus domini sit, ut res existat in potestate nostra, eique insistamus.* At, cum in dominio non sola naturalis, sed etiam moralis facultas spectanda sit, ut supra inuimus; ista probandi ratio minus procedit; maxime, cum non ille necessarius sit domini effectus, ut actu semper rei propriae insistamus. Itaque illa maior Propositio indiget aliqua expositione. Primum enim illa non de vno alteroue modo possessionis, sed de eo est intelligenda, quae cuiusuis rei naturae est conueniens. Neque enim omnes res eodem speciali modo possidemus: sed alio pecuniam; alio feras et aues; alio agros et fructus; alio alias res. Sufficit ad constituenda dominia cuique rei ille possessionis modus, per quem ea re libere vsi fruique licet.

Itaque hoc modo illa propositio est intelligenda : *Quae res nullo prorsus modo recipit possessionem , illa dominii non est capax.* Deinde illa possessio, quam ad constituendum dominium, in illa maiori propositione, requirit Vir Consultissimus, non de actu possessionis semper est intelligenda, quasi omne ius dominii a possessione nunquam non dependeat : sed si quis iusta occupatione, aliove iusto titulo, sibi semel acquisiuit alicuius rei dominium; ad illud constituendam retinendamque satis est, si tunc libere eam possideat, ubi velit, et ubi possessio atque usus ad dominium vindicandum necesse fuerit : cum ceteroquin nihilominus dominus etiam secundum ius naturae ius suum integrum retinere possit, quamvis rei propriae usum alteri aliquandiu concesserit, qui interea tantisper eam rem possideat. Ita duplici ergo expositione illustratam maiorem propositionem cum concedamus, negamus tunc dissentientis minorem propositionem, nempe, *mare non recipere possessionem.* Si enim mare occupari potest classe, exercituque maritimo; quid ni eodem modo etiam possit possideri, tenerique? Talem detentionem maris pro possessione esse, dudum monstrauit Strauchius, *c. V dissert. de imperio maris.* Accedit deinde liber usus maris, liberumque exercitium actuum imperandi, prohibendi, et similibus, per quos illa occupatio velut continuatur, et mare possideri intelligitur. Talis enim possessio naturae maris est conueniens, et reuera datur, et ad vim suam declarandam tam valida est, quam possessio aliarum rerum, quibus insidere, et pedibus insistere, aut eas includere possumus. Conferantur ea, quae supra n. XVIII ea de re monuimus. Equidem minorem suam propositionem probaturus Huberus : *Possessio, inquit, est sedium positio, et rei detentio; rei, quam possidemus, ei semper insistere possumus. At in mari non possunt sedes poni, neque id detineri, aut custodia coerceri potest.* Mirum est, iussisse Virum Consultissimum grammatica interpretatione vocis *possessionis.* Quid ni potius affirmauit, rerum possessionem generatim contineri inclusione areae

aut

sunt carnae, uti pecuniam et aues includimus, atque possidemus; tunc longe certius negare potuisset, mare posse possideri? Talem possessionem ad dominia constituenda requiri, qualem usus rei conditio ad eius liberum usum permittit, saepius iam monuimus. Atque bene se habent, quae ad hoc argumentum observavit Celeberrimus Thomassius, in Scholiis, quae Huberi Praelectionibus ad Institutiones subiecit. *Quod refugium, inquit, in custodia hic quaeris Auctor, ad id facilis est responsio. Vel enim dicemus, eam ad res mobiles esse restringendam (neque adeo uniuersalem esse et ad omnium rerum dominia requiri) vel etiam mare custodia nostra coerceri, per leges maritimas et iurisdictionis in eo exercitium.* Et quanquam deinceps Huberus sugillauerit hoc scholion, scripseritque, *hanc responsionem de occupatione per leges non decere Iuris Consultum, qui sciat, occupationem fieri per apprehensionem corporalem; et iurisdictionem legesque ferendi ius consequi, non praecedere dominium, vel potius imperium;* tamen sensum huius scholii quodammodo inuertisse videtur; cum ibi non occupationem, sed occupatae rei custodiam, atque continuatam possessionem, per leges et iurisdictionis exercitium fieri, dictum fuerit: quod certe a veritate alienum non est, cum actus eiusmodi utique sint et effectus custoditi domini, et iis ipsis dominium in mari continetur. Denique prouocat Huberus ad auctoritatem iuris Romani, quo mare inter ea referatur, quae communia sint omnium. At, quoniam, n. XII, inuimus, ius civile per se non pertinere ad decidendas gentium controversias, plura nunc haud addimus.

Argum. III

### XXV.

Praemissis his argumentis, Huberus, Grotium secutus, subiecit cautiones quasdam, seu limites, quibus suam sententiam quasi circumscripsit. Quae vero cautiones si paullo curatius perpendantur, non obscure indicant, illis admissis, auctorem ipsum non potuisse non aliquod maris dominium admittere, adeoque haud illud valere, quod ab initio praetenderat, *dominium maris totius,*

*Cautiones et limitationes Huberi.*

- aut praecipuarum partium, nec esse, nec fuisse, nec esse posse.*
1. Primum ait, in *L. de Jure Civit. p. 452, aerem et mare sub dominium venire, quatenus sint partes et accessiones terrae.* Ergo, si nec ab auctore, nec ab aliis negari potest, dari dominia in diviticulis maris; id saltem inde patet, nihil esse in ipsa natura maris, quod iustitiae auerteretur; alioqui, quocumque loco id contineretur dominio, id foret iniustum. Deinde ait, *conventionem populorum fieri posse, ut quidam iure et usu certi maris cedant, aliique liberam eius dominationem permittant.* Quod si hunc modum concessit Huberus, quo vera maris dominia introduci possunt, inprimis ubi populus sibi soli ius navigandi ex tali consensu et foedere acceperit; quidni et alios modos aequae convenientes concessit, aut cur in *thesi* absolute negavit, maris dominium aut fuisse, aut esse, aut unquam esse posse? Tertio idem observare iussit, *fieri quandoque, ut divisio maris instituat, non ad stabilendam possessionem, sed ob curam piratas coercendi et securitatem praestandam.* Si ergo divisionem aliquam maris concesserit, concedat etiam necesse est et terminos maris, absque quibus illud dividi non posset, et occupationem atque possessionem aliquam, absque qua frustra divideretur mare, frustra que expellerentur piratae. Et si gentium consensu mare dividi potest ad piratas coercendos; quidni etiam ad proprietatem eius constituendam, si eadem velint gentes; quandoquidem et divisio maris, et eius divisionis finis dependeret a voluntate gentium?
  4. Quarto denique ita suam sententiam circumscripsit Huberus, ut existimaverit, *ratione territorii adjacentis partem vicinam maris esse sub imperio Principis aut populi, qui navigantes e terra pro lubitu cogere possit; tunc enim custodia illius coerceri videri.* Quod si autem mare etiam a territorio remotum coerceri poterit, quod fieri potest, praecipue parata maiori potentia navali; neque tunc illius imperium negandum erit. Et quamquam talis occupatio atque custodia maris remoti difficilior videatur, quam maris territorii vicini; tamen facilitas atque quaedam difficultas occupandi et custodiendi, per se non efficit aut

aut impedit omnem occupationem atque custodiam; cum paullo  
difficilior occupatio nihilominus etiam sit occupatio. Postremo  
Huberus, in *Digressionibus Iustinianensis*, referenda sibi sumit ar-  
gumenta Seldeni; sed cum ea, quae Huberus regeffit, facile ex  
superioribus dilui possint; cumque in praesenti Seldenum defen-  
dendum non susceperimus; ea nunc pluribus expedire superse-  
demus: qui haud iniqui confitemur, Seldenum, quamvis egre-  
giis aliquot argumentis sententiam suam confirmauerit, nimio  
tamen argumentorum cumulandorum studio, nonnulla insper-  
fisse, quae non ubique suam vim tueantur. Quod cum et alii  
in utramque partem de hoc argumento fere accidisse animadver-  
tamus, huiusmodi rationes tanto excusatius praeterire videmur.

### XXVI.

Huberi vestigiis institit Clarissimus Belgarum IureConsultus, *Aliud ar-*  
Cornelius van Bynkershoek, in *dissertatione de dominio maris*; *gumentum*  
aut potius, quemadmodum ille maris dominium ideo potissimum *contra do-*  
negavit, quia non possit occupari; ita hic mare liberum censuit, *minium ma-*  
quia, etsi fuerit occupatum, tamen non fuerit retentum, nec *ris.*  
possit etiam animo retineri. Existimat enim, dominium, uti  
a possessione corporali incipiat, ita etiam cum amissione huius-  
modi possessionis desinere; nec animo retineri possessionem, si  
corpore et viribus deserim possidere. Quae hypothesis, prae-  
terquam quod fere omne ius non nisi potentia atque viribus  
metiri, neque vlli amplius aliquid iuris, quam quantum quis-  
que viribus polleat, in naturali statu relinquere videatur; quo-  
dammodo iam ex iis, quae de modis acquirendi retinendique  
imperii n. XVIII disseruimus, dilui potest. Sed, ne novam lon-  
gamque disputationem ingredi necesse habeamus, otia nobis fe-  
cere duo celeberrimi IureConsulti, CHRIST. THOMASIVS &  
GOTTL. GERH. TITIVS; quorum ille in *annotationibus Huberi*  
*L. II de Iure Civitatis p. 452 subiectis*: alter in disputatione, quam  
A. C. cl. lccciv Lipsiae habuit *de dominio in rebus occupatis ultra*  
*possessionem durante*, Bynckershoekii argumenta suis momentis  
ponderarunt, valdeque reiecerunt,

### XXVII.



*Argumenta  
Isocratis  
contra A-  
theniensium  
imperium  
maritimum.*

Finem huic exercitationi imponemus, si paucis attigerimus, quae ex Isocratis speciatim Atheniensium dominio maritimo opponi posse videantur. Ille enim in grauissima oratione de PACE dissuadurus Atheniensibus maris imperium, demonstrare conatus est, illud primum non citra iniustitiae notam parare iis licere, quia ipsi Athenienses antehac eundem dominatum aduersus Lacedaemonios verbis armisque vehementissime impugnaverint. Deinde ostendit, nec eos aptos esse, qui illud dominium sibi parare atque tueri valeant; siquidem et mores, et opes, quibus maris imperium obtineri possit, ipsis desint. Denique docet, neque illud vtile esse reipublicae suae, cum hinc varia vitia, variaequae calamitates, iam in eam fuerint illata. Quae pluribus ibi exposuit prudentissimus orator, suaeque orationi non exiguam fidem conciliavit, cum ipse fuerit Atheniensis, et reipublicae suae rationes accuratius introspe-xisset. Nihilominus tamen ad obiectas ex Isocrate rationes respon-dere licet, si primum tempora distinguamus. Nos enim de Athe-niensium imperio maritimo locuti sumus, vbi illi hoc consensu Graecorum et iure victoriae obtinuerant: Isocrates de eo tempore loquitur, vbi illud iam perdiderant. Deinde distinguendae sunt rationes status atque vtilitatis a rationibus iuris. Iam supra enim, n. XL, obseruauimus, non omnia, quae non iniusta sunt, omni rei-publicae et omni tempore expedire; neque etiam omnia, quae expedire videantur, esse iusta. Sed et illa Atheniensium disce-ptatio documento esse potest, quemadmodum saepe in rebus pub-licis euenire solet, vt, pro diuerso rerum statu, aliqua proben-tur, et iusta vocentur, quae antea velut iniusta improbabantur. aut contra; neque id vbique ex vera iuris consideratione, sed saepe solius vtilitatis respectu. Sic idem quodammodo accidit Britannis, qui tempore Elisabethae, vbi de mari Indico cum Hispanis contende-bant, maris vsum omnibus iure communem esse profitebantur; at postea, regnante Iacobo, cum minus ad vtilitatem suam pertinere intelligerent, mare in vniuersum liberum esse, cum Belgis disce-ptantes, mutata priori sententia, pro dominio maris propugnarunt. Postremo, in argumentis Isocratis abusus domini maritimi ab eius vero vsu omnino est secernenda; alioquin omnis consequendae felicitatis cura posset dissuaderi: quia, auctore Curtio, raro quis-quam erga sua bona fatis cautus est; aut quia, vti Gellius ait, pleris-que hominibus rebus secundis atque prosperis animus excellere, et superbia atque ferocia auferescere solet.

COROL.

ΕΠΙΛΟΓΑΙ  
ΚΟΛΛΑΡΙΑ  
ΜΕΤΕΠΙΤΗ ΤΕΛΕΥΗ

I.  
Etsi in tradenda origine et propagatione animae humanae magis ingenium securumque est, *τε επιχειρον* amplecti; probabilior tamen est sententia, animas nostrum omnium a DEO creatas iam in primis humani generis Parentibus exiisse.

II.

Neque vero sic per generationem demum cum corporibus uniantur animae, sed iam ab illo tempore cum staminibus corporum unitae, et propagatae, excitantur, et in actum traducuntur.

III.

Nulla lingua homini fuit concreata.

IV.

Bruta habent rationem.

V.

Pacta etiam cum Atheis iniura sunt seruanda.

VI.

Qui hodie ex Christianis tradunt, Atheismum nulli reipublicae necessario esse noxium, imprudentius ratiocinantur, quam Plutarchus, homo paganus, qui in Libro aduersus Colotem ita scripsit: *πόλις ἂν μοι δοκῆι μάλλον ἰδαίφως χωρεῖ, ἢ πολιτεία τῆς ὡς θεῶν δόξης ἀνακηρύξεως πανήλασι, εὐσασιν λαβῶν, ἢ λαβῶσα τηρῆσαι.* h. e. *Facilius urbem condit sine solo posse puto, quam, opinione de Diis penitus sublata, ciuitatem coire, aut consistere.*

F

PER-

PERREXIMIO PPDITISMOQUE  
IOHANNI HERDEGEN

S. P. D.

PRAESES.

**I** Alter eos, qui optimis artibus dediti in Academicis ad-  
iumenta eruditionis quaerunt, alios viduas inconsulto  
quodam atque temerario impetu ad sublimiorum disci-  
plinarum studia grassari, et, quamvis nullis adhuc neces-  
sariis doctrinae praesidiis praemuniti sint, etiam ad sole-  
nes impetiorum contentiones proliolare. Alios contra  
animaduertas, vel hebescentes, vel nimium meretriciosos,  
vel peritaces, sibi que solis placentes, non nisi in tenebris  
latere, nec unquam experiri ingenii facultatem. Quibus  
tandem usu venit, ut, vbi omnino necesse habeant pro-  
dire in lucem, tunc colligent velut in sole, et umbratili vita  
pallascetes nihil non reformident. Ab utrisque lauda-  
bili consilio rationes prorsus seiunctas habes, Amicissime  
Herdegeni; qui humanitatis et philosophiae subsidiis antea  
instructus non refugis palaestram eruditorum; sed, data  
experienti facultate, profers Tua literarum studia; neque  
tamen vim ingenii Tui tactas, sed liberali exercitatione  
explicas, atque modeste ostendis. De quo instituto Tibi  
ex animo gratulor. Teque hortor, ut hanc bonam men-  
tem constanter retineas, et, quae bene coepisti, omni ala-  
critate prosequaris. Ceterum, vti industriae rectaeque  
vitae testimonium Tibi lubens meritoque impertior; ita  
opto, ut Maecenatum gratia patrociniisque liberaliter ad-  
iutus, laudis et studiorum curriculum feliciter consicias,  
Tuoque tandem exemplo discas, doctrina cum probis mo-  
ribus coniuncta nihil esse commendabilius, neque ad  
parandam felicitatem vtilius aptiusque.

Vale.

CONTROVERSIARVM  
IVRIS NATVRAE ET GENTIVM

EX HISTORIA GRAECA ILLUSTRATARVM

SPECIMEN IIII

PRAESIDE

CHRISTIANO GOTL. SCHVVARZIO P.P.

ORDINIS PHILOSOPHICI H. T. DECANO

*A. D. XXVI MARTII A. R. S. MDCCCXVIII*

IN ACADEMICO DISPUTANTIVM CIRCVLO

PVBlicae DISQVISITIONI

EXHIBITVM

A

IOHANNE OSVVALDO

EIBACHIO-NORICO.

---

ALTORFII NORIC.

LITTERIS IODOCI GVILIELMI KOHLESII VNIV. TYPOOR.



CONTROVERSIA IIII  
DE  
MODO ACQVIRENDI DOMINII  
PER OCCVPATIONEM

## I.



X omni iurisprudencia naturali nullum <sup>Exemplum</sup> latius patet argumentum, quam quod <sup>controver-</sup> est de *dominio rerum*. Illud enim, quod <sup>siæ ex bi-</sup> MEVM et TVVM uocatur, uti tum priua- <sup>stor. Gr. pro-</sup> tim frequentissima litigia, tum publice <sup>ponitur.</sup> bella creberrima, concitat; ita eruditis materiam disputandi præbet copiosissimam. Nobis nunc constitutum est ad ipsas dominii origines respicere: quò consilio ex antiqua Graecorum historia exemplum repetemus, quo potissimum MODVM ACQVIRENDI DOMINII PER OCCVPATIONEM illustremus. Prodidit illud memoriae PLVTARCHVS; apud quem, *in Quaestionibus Graecis, T. II Oper. edit. Francof. p. 298*, haec leguntur: Ἄνδριοι καὶ χαλκιδεῖς πλεύσαντες εἰς Θράκην, οἰκίσεως ἕνεκα, Σάμην μὲν πόλιν ἐκ προδοσίας κοινῆ παρέλαβον, τὴν δὲ Ἄκανθον ἐκλειοπέναι τῆς βαρβάρου πυρθαγόμενοι, δύο κατασκόπως ἐπέμψαν. Ὡς δὲ τῆ πόλει προσιόντες, παντάπασι πεφευγότες ἠδάνοντο τῆς πολεμίας. Ὁ μὲν χαλκιδικὸς προξέδραμεν, ὡς καταληψόμενος τοῖς χαλκιδεῦσι τὴν πόλιν· ὁ δὲ Ἄνδριος ἐ συνεξανύτων, ἠκόντισε τὸ δόρυ, καὶ ταῖς πύλαις ἐμπαρέντος μετὰ βελῆς, Ἄνδριῶν ἐφη παῖσιν ἀίχμη προκατελήφθαι τὴν πόλιν. Ἐκ τῆτε διαφορᾶς γενόμενης, ἀνευ πολέμου συνέβησαν Ἐρυθραίοις καὶ Σαμίοις καὶ Πάριοις χρῆσασθαι περὶ πάντων δικασαῖς. ἐπεὶ δ' οἱ μὲν Ἐρυθραῖοι καὶ οἱ Σάμιοι τὴν ψῆφον Ἄνδριοις ἤνεγκαν, οἱ δὲ Πάριοι Χαλκιδεῦσιν, ἀράς ἐθεντο.

ἔθεντο πρὸς τὸν τόπον τῆτον οἱ Ἄνδριοι καὶ αὐτῶν, μήτε δῆνα γυ-  
ναῖκα παρλοῖς, μήτε λαθεῖν παρ αὐτῶν. h. e. *Andrii et Chal-*  
*cidenses, cum nauigassent in Thraciam, sedium petendarum*  
*caussa, Samem urbem proditione sibi traditam communi iure oc-*  
*cuparunt. Vbi uero audiueraut, Acanthum a barbaris fuisse*  
*derelictam, duos emiseraut exploratores. Hi postquam ad*  
*urbem accessissent, intellexissentque, hostes omnino abuisse;*  
*Chalcidensis quidem praecucurrit, Chalcidensibus suis urbem*  
*occupaturus. Andrius uero, ubi illum consequi non poterat,*  
*hastam proiecit; qua portae urbis ualidissime infixae, dixit, se*  
*illa ipsa hasta urbem liberis Andriorum suorum praecoccupasse.*  
*Ex ea re cum dissensio existeret, sine motu bello Andrii Chal-*  
*cidensesque inter se ita conuenerunt, ut Erythraeis, et Samiis,*  
*Pariisque, uterentur arbitris. Postquam uero Erythraei et*  
*Samii suffragati fuerant Andriis, solique Parii steterant pro*  
*Chalcidensibus; eo loco Andrii execrati sunt Parios, uouerunt-*  
*que, se nunquam his daturus, neque ab iisdem petituros esse,*  
*uxores.*

## II.

*Quorundam  
lapsus in ci-  
tanda hac  
historia.*

Hic primum notamus, hanc ipsam controuersiam uulgo paullo aliter citari solere, quamuis ubique ad testimonium et auctoritatem Plutarchi prouocetur. Ipse Hugo Grotius, uir summus, *L. II de I. B. et P. cap. VIII, n. 6*, eam historiam ita commemorat, ut non Andriis, qui priores immiserant iaculum, sed Chalcidensibus, qui priores intrauerant, plurium arbitratorum suffragio adiudicatam Acanthum urbem, dicat: cum omnino plures sententiam pro Andriis tulerint. Eundem lapsum secutus est etiam Pufendorfius, *L. III de Iur. Nat. et Gent. c. VI, n. 8*. Quare nescio, quid sibi uoluerit celebris Belgarum Iuris consultus Vtricus Huberus, qui, ubi eandem retulerat historiam, *L. II de Iure Ciuitatis, Sect. IV, cap. 2, n. 16*, haec scripsit: *Vicerunt igitur et recte Chalcidenses; etsi Grotius Andrios uicisse referat, errore memoriae, ut puto.* Dum enim  
Groti-

Grotium erroris arguit Huberus, ipse ibi in errore versatur; quia Grotius idem affirmavit, (quamuis contra Plutarchi testimonium) Chalcidenses vicisse. In Libro autem *IV Digressionum*, cap. *XVIII*, n. 2, rectius eam historiam exposuit laudatus Huberus.

### III.

Iam, quod ad usum huius exempli attinet, quamuis ex eo ipso plures excitari mouerique possint quaestiones; nos tamen in praesens tantum hac occasione disquiremus: *An plures arbitri recte pronunciarint pro Andriis, et ad dominium urbis uacuae et a pristinis incolis relictae acquirendum suffecerit symbolica illa occupatio per hastam; An vero omnino maius ualidiusque ius in istam urbem Chalcidensis explorator corporali occupatione ciuibus suis acquisiuerit? Aut denique, an non censendum sit, commune ius utrique disceptantium parti, hoc est, Andriis atque Chalcidensibus, reuera fuisse acquisitum?*

*Status controuersiae.*

### IIII.

Vt nos eo certiore hac in controuersia sententiam ferre possimus, antea primos ueluti fontes huius disceptationis repetemus. Huc adeo pertinet omnis disputatio de natura et indole dominii, inprimisque de *modis dominii acquirendi*. Primum quidem nolumus nunc ex instituto excutere, quae inter tot definitiones dominii a scriptoribus allatas uideatur optima? Nec mirum est, in describenda dominii natura uariare auctores, cum alii latiore, angustiore alii, notionem huic uocabulo subiiciant. Nobis satis est in praesens, monuisse, *dominium dici ius de re aliqua libere disponendi*, h. e. ius rem habendi, ea utendi, eandemque libere alienandi atque uindicandi; *nisi lex et conuentio obstet*. Equidem huiusmodi descriptionem dominii quondam reprehendit celebris Iurisconsultus, Caspar Zieglerus, in *Notis ad Grotii Ius B. et P. p. 245*; propterea, quod haec magis ad effectum, quam ad

*Fontes generales decidendae huius controuersiae.*



formam dominiū exprimendam, faciat; rectiusque *dominiū* putat definiri posse, quod sit *ius constitutum in re corporali, quo res propria est*. Attamen existimo, in moralibus naturam rei saepissime multo luculentius a complexu qualitatum effectorumque, quae quodammodo in sensu incurrunt, quam notionibus generalioribus, et nimis a sensu remotis, designari posse. Cum uero manifestum sit, et certe nos iam supponamus, dari omnino huiusmodi dominia rerum; in praesens potissimum considerandum est, quomodo et qua ratione tale ius *acquirere* potuerimus, secundum quod certae res sint nostrae, et de quibus libere disponere queamus: quia enim dominiū est *qualitas moralis*, non *physica*; haud illud cum ipsis rebus natum est, sed iis facto aliquo superadditum, et ab hominibus acquisitum. Est uero *acquisitio generatim actus, quo dominiū comparatur, et proxime constituitur, atque in nos transfertur*. In uulgus autem notum est, *modos acquirendi dominiū dici uel originarios, uel deriuatiuos*. *Acquisitio originaria* est actus, per quem ab initio in rem aliquam, quae hactenus nullum habet, aut nunquam habuit, Dominiū, proprietatem et ius libere de re disponendi introducit. *Acquisitio deriuatiua* est actus, per quem dominiū iam constitutum ab uno in alterum transit; siue hoc fiat in statu ciuili ex dispositione legis, siue generatim ex uoluntate et facto prioris Domini. Dantur et aliae diuisiones acquisitionis, dum alia dicitur *principalis*, seu simpliciter talis, qua res per se subsistens acquiritur: alia *accessoria*, seu secundum quid talis, qua res alii accedens (ut e. g. in foetura, in alluione, in specificatione fit,) acquiritur; seu incrementum ad rem nostram adiungitur. Itemque, respectu legis, alia uocatur *naturalis*; alia *ciuilis*. Sed huc maxime spectat doctrina de *originario modo acquirendi dominiū*; quia agitur de occupatione *urbis a priori domino derelictae*. Equidem Grotius, Pufendorfius, et alii non pauci, qui illorum auctoritatem sequuntur, duo statuunt genera *acquisitionis primitiuae, siue originariae*: aliud per *occupationem*, aliud

aliud per *diuisionem*. Hi enim putant, primaeuos homines, praeuio pacto, orbem terrarum inter se diuifisse, adeoque *diuifione* introduxiffe primum fingularia dominia: cum tamen rem *diuidere* nequeamus, nifi quae iam a nobis occupata et noſtra eſt; atque hinc *diuiſio* iam ſupponat aliquod dominium. Ac tantum abeſt, ut *diuiſio* recte inter *originarios* acquirendi dominii modos referri poſſit; ut, (quod illuſtris huius temporis Iuriſconſultus Io. Henricus Bergerus, in *diſput. de Exordio proprietatis*, § XXXVIII, oſtendit,) ne quidem per ſe ſit *modus deriuatiuus*; ſed huic pariter, atque originario, aliquando tantummodo accedat. Verum nos hoc loco agimus de *modo acquirendi dominii per occupationem*; quem modum omnino originarium et naturalem eſſe cenſemus. Vt autem eo magis in aperto ſit, quomodo per *occupationem* iuſta rerum dominia conſtituantur, diſpiciemus primum, *quatenam* dicatur *occupatio*, et *quot modis* fiat? deinde, *quae et quales res* occupatione acquiri poſſint? Tum, unde et quare per occupationem iuſta dominia conſtituantur, et ſi qua forte alia ad hoc argumentum illuſtrandum facere poſſe uideantur.

#### V.

Nihil quidem neceſſe eſt, hoc loco monere, apud Rhetores certum *quædam* appellari occupationem, quoties nempe, quae dici ab alio poterant, ea ipſi praeueniendo dicimus in noſtram partem, ne nobis poſtea officiant retorquentes. Interim uel hinc patet, quod iam Laur. Valla, *L. V Elegant. c. LVII*, bene obſeruauit, OCCUPARE proprie dici ANTE CETEROS CAPERE, quod in medium et commune poſitum eſt. Quamobrem OCCUPATIO nobis hoc loco non dicitur, niſi *apprehenſio rei dominio aliorum uacuae*, ita, ut res ea ad uſum apprehendentis proxime applicari, neque, niſi invito, aut ui quadam, eripi poſſit. Occupationem igitur primum ſimpliciter uocauimus *apprehenſionem*, non adſcita uoce *corporalis*, quam alii addunt; quia reuera et proprie loquendo *apprehenſio* non intelligitur eſſe, niſi generatim *actus quidam corporeus*: ſola uero mente et cogitatione pro-

*Quae ſit proprie dicta occupatio, et quibus modis ea fiat?*

prorsus improprie dicimur res occupare. Quae res *apprehensione* possint occupari et in potestatem nostram redigi, postea edifferemus. *Apprehensio* autem proprie dicta quamuis generatim sit actus quidam corporalis; speciatim tamen, pro uaria natura et conditione rerum, quas in nostrum usum occupamus, non est unius eiusdemque generis: modo manibus, modo pedibus, modo insistendo, modo insidendo, modo incubando, modo corporis nostri, modo instrumentorum nostrorum, adiunctione, et, si qui sunt alii eius generis modi, apprehendisse rem, h. e. possidere coepisse, intelligimur. Quod igitur Pufendorfius, *L. IV, de I. N. et G. c. VI, § 8*, scripsit: *regulare esse, ut occupatio rerum mobilium fiat manibus; rerum soli, pedibus, cum intentione culturam iisdem adhibendi, ac constitutis limitibus*: id quidem utique ad ea pertinet, quae ordinarie et ut plurimum fiunt; non uero in uniuersum ualet: cum, exempli causa, etiam is auri particulam, dominio alieno uacuum, recte occupasse dicatur, neque sine iniuria alius eripere possit ipsi inuito, quicumque eam siue manibus primum ceperit, siue ei insederit, siue pedibus institerit, siue, ut postea dicemus, eandem instrumento apto arripuerit; dummodo ita tenere coeperit rem, ut sibi ad usum et ad possessionem continuandam prae aliis proxime praesto sit; neque alii, nisi ui quadam, inuito eripere queant. Itaque modus apprehendendi ubique determinari nequit; neque tamen qualiscunque apprehensio ad occupationem efficacem et ad rem hoc titulo nobis asserendam sufficit; sed generatim talis requiritur, qua res apprehensa in potestatem nostram ueniat, h. e. ad usum apprehendentium proxime et prae aliis applicari, neque nobis, nisi inuito, aut ui quadam, auferri possit. Ergo omnis ille modus apprehendendi censetur naturali ratione maxime idoneus, qui facit ad potius ius occupantis apertius demonstrandum, quique aptior est ad rem nobis asserendam, usuique nostro arbitrario accommodandam, et ad litigia societati humanae aduersa facilius tollenda; ne dubii concurrentium actus aut uoluntates plus

plus rixarum turbarumque pariant. Occupatio enim est modus dominiū acquirendi : dominia uero singularia , non ad augenda , sed minuenda , uitae socialis incommoda , sunt introducta et a DEO approbata. Ergo ille occupandi modus naturae dominiū est conuenientissimus , qui fini dominiū est accommodatissimus. Adhaec occupatio , quatenus nobis ius affert in res nullius ; quod hoc titulo aduersus alios tueri possimus , reuera est *initium possessionis naturalis* , ex qua dominium rerum coepisse , Nerua fil. recte ait , *l. 1 D. de acquir. poss.* Quo ipso loco et illi , qui rem nullius capiunt , primi *possessionem eius apprehendere* , uel *nancisci* , dicuntur. Iam uero possessio , quia naturali ratione constituit actum corporalem ; aut certe a tali actu dependet , non male definitur *corporalis detentio cum animo tenendi sibi que habendi*. Quo respectu Labeo , l. c. fortasse ex Stoicorum consuetudine interpretandi origines uerborum , dixit , *possessionem a sedibus appellari* , quasi *sedium positionem* ; quia , uti ibidem legimus , *naturaliter res possidetur ab eo , qui illi insistit*. Ex quo saltem intelligitur , eo efficaciorē ad ius singulare nobis aduersus alios acquirendum recte cēseri occupationem , quae initium est possessionis ; quo plenius certiusque quamque rem pro natura sua ita *corporaliter tenemus* , ut ea iam in potestate nostra esse incipiat. Sciens uero prudensque dixi , occupationem esse *initium naturalis possessionis* ; ne illa , nisi laxiore dicatur significatione , cum ipsa possessione continuata confundatur ; quanquam haec utique ius ex prima occupatione ortum continuet , magisque corroboret ; de qua possessione eiusque uariis modis fortasse alia occasione ex instituto agemus. Atque adeo ad nudam occupationem necesse non est , sed iam ad occupationis continuationem , ipsamque possessionem facit , quod Pufendorfus , *L. IV de I. N. et G. c. VI, n. 9* , scribit , *uulgo iudicari , res mobiles , ut nostrae fiant , apprehensione corporali indigere ; ut tamen ex eo loco , ubi positae fuerant , dimotae in locum , aut custodiam nostram , transferantur. Sic pullos*

B

*pullos auium in nido adhuc haerentes, licet eosdem apprehenderimus, nostros nondum fieri, nisi eosdem domum asportauerimus.* At enimvero, quamuis omnino per custodiam continuatamque possessionem plenior proprietates harum rerum, quod ad durationem attinet, constituatur, et naturalis ratio suadeat, ut, si huiusmodi res mobiles seque mouentes, quae omnibus ad occupandum obuia sunt, non uelut arctius custodiamus, eas haud amplius possidere uoluisse, sed dereliquisse, intelligamur: interim tamen, etiam tum, quum e. g. auium pullos, qui in nullius sunt dominio, apprehendimus, eos occupasse censendi sumus, ita, ut, quoad eosdem apprehendimus, ii nobis inuitis sine iniuria eripi nequeant: quamuis postea, ob derelictionem, et possessionem non continuatam, iure nostro rursus excidere possimus. Atque adeo huiusmodi res mobiles, aut se mouentes, arripiendo quidem et capiendo *occupamus*; sed custodiendo, et includendo, curandoque, *possidemus*. Possem nunc pluribus agere de specialioribus quibusdam occupandi modis, pro diuersa rerum natura quodammodo uariantibus; utpote quum *res* uel *mouibiles*, uel *se mouentes*, uel *immobiles*, dicantur: sed satis est, nunc quoddam compendium laboris fecisse; et, praeter alios, opportunas meditandi rationes ea de re suppeditaui celeberrimus Thomasius, in *Iurisprud. diuina*, L. II, c. X, § 143, et sequentibus, quas huc transferre nunc supersedemus. Ceterum constat, quosdam speciales occupandi modos etiam specialia nomina inuenisse. Ita, cum bestiae sint *res se mouentes*; triplex earum speciatim nominatur occupatio: *uenatio*, *pisca-*  
*sio*, et *aucupium*. At *rerum mobilium* occupatio dicitur *inuentio*. Occupatio denique *rerum immobilium* καὶ ἐξοχῆ retinet nomen *occupationis*. Vid. Ioh. a Felde, in *Elementis Iuris uniuersis*, Parte V, p. 1152. Imo et illud ad describendos occupandi modos pertinet, aliquando occupationem fieri a nobis ipsis αμέσως, h. e. *immediate*, et non interuenientibus aliis hominibus, aut instrumentis: (cuiusmodi occupatio generatim in  
corpo-

corporis nostri coniunctione cum corpore rei occupandae consistit; cuiusque occupationis aliquot genera iam supra indicauimus; deinde, aliquando res nullius occupari *uicinis, mediate*. Id uero fit primum quidem, interuenientibus aliis hominibus, qui loco nostri, aut pro nobis, rem occupant. Quod enim quis per alium facit, aestimatione morali ipse putatur fecisse. Hinc, quae *lege X D. de acquir. rerum dom.* traduntur, naturali nituntur ratione: *Acquiruntur nobis res non solum per nosmet ipsos; sed etiam per eos, quos in potestate habemus; item, per homines liberos, et seruos alienos, quos bona fide possidemus.* Deinde *occupatio mediata* fit etiam interuenientibus instrumentis idoneis, uerbi gratia, *laqueis, retibus, hamis, alucis, uiuariis, sepimentis, uasis*, et aliis huius generis subsidiis; quia et hoc modo res ad nostrum usum proxime possunt applicari, et a nobis possideri incipiunt: dummodo talia instrumenta sint in nostra potestate, h. e. nostra, eoque loco posita, ubi ius est nobis capiendi res, et ubi reuera res instrumentis nostris detineantur, capique possint.

## VI.

Vt ea, quae hactenus de modo occupandi exposuimus, *An non animo uisusque res occupare possimus?* magis adhuc elucescant, non nulla, quae cum hoc argumento proxime coniuncta sunt, praeterea subiiciemus. Nimirum, *l. 1, D. § 21, de acquir. possess.* legimus, *non esse necesse, corpore et actu apprehendere possessionem; sed etiam oculis et affectu.* Videtur hinc, dubitari posse, an ex naturali ratione, per affectum oculosque, sine corpore et actu, res nullius apprehendi possit? Verum, facile apparet, huius generis apprehensionem magis ad ciuiles, quam naturales, acquirendi dominii rationes pertinere. Extra enim statum ciuilem, et extra omne pactum, aliumque titulum praecedentem, nequiquam sufficit solus affectus et animus acquirendi, solusque uisus. Quia neutro modo proxime et prae aliis hominibus res aliqua tenetur, nostroque usui praesto est; neuterque modus potius ius acquisitionis facile

demonstrat. Adhaec, quia nulla naturali consequentia simplici-  
 citè sequitur, ut reuera *habeam* illam rem, quam saltem *uolo*,  
 quam *uideo*, aut quam *scio*, ubi qualisque existat. Imo, quia  
 innumerabiles homines unam eandemque rem simul et uo-  
 luissent, et uidisse, possunt, quam tamen uniuersi reuera occu-  
 pare nequeant; ergo inutilis plane hic acquirendi dominii modus  
 foret, et plura incommoda, quam commoda, societati humanae  
 esset allaturus. Etenim, quod bene obseruauit Dau. Meuius,  
 in *Nucleo Iur. nat. et gent. Inspect. V, n. XLII*, dominii ius rec-  
 dendum erat certum; ideoque tale, quod in oculos incurreret,  
 nec facile controperti posset, *medium* complacuit, ex quo do-  
 minium censeretur. At enimuero, regerat aliquis, posse qui-

An ad ac-  
 quisitionem  
 originariam  
 sufficiat de-  
 clarata uo-  
 luntas ha-  
 bendi?

dem concedi, solo animo, soloque uisu, rem acquiri non posse;  
 attamen, si sufficiens animi nostri declaratio erga alios accedat,  
 sique demonstretur uoluntas nostra habendi rem nullius; tunc  
 hanc declarationem ad acquirendum dominium rerum nullius  
 sufficere, ita, ut nulla opus sit corporalis apprehensio. Fateor,  
 hanc sententiam esse eximiorum iuris naturalis consultorum. Ita  
 Gottl. Gerhardus Titius, Ictus quondam Lipsiensis, *Obseru. 292*,  
 ad Pufend. de O. H. et C. scribit: *Occupatio ad acquisitionem*  
*originariam non praecise est necessaria*; sed requiritur sal-  
 tem, ut medium uoluntatem acquisituri aliis indicandi.

*Quod si adeo alii in acquisitionem rei nullius aperte consen-*  
*tiant, uel ACQUISITVRVS VOLVNTATEM HABENDI ALIO ACTV*  
*AEQVE HABILITATEM DECLARET, tum etiam sine occupatione domi-*  
*nium originarium acquiri potest.* Eadem habet in *Iur. publ.*  
*Rom. Germ. L. III, c. VII, p. 352.* *Occupatio, inquit, est medium,*  
*quo animum habendi declaramus; de hoc animo si ex aliis in-*  
*dicis satis constet, etiam sine occupatione dominium origina-*  
*rium poteri acquiri.* Titii sententiam sequitur in suis notis  
 ad Pufend. I. N. et G. L. IV, c. VI, n. 2, Io. Barbeyracius, cum  
 inter alia haec scribit: *En effet ce qui constitue proprement le*  
*droit du premier occupant, c'est, qu'il a donné à connaître*

MAARD

auant les autres le dessein, qu'il auoit de s'emparer d'une  
 chose. Si donc il témoigne sa volonté par quelque autre acte  
 aussi significatif, ou si les autres ont manifestement renoncé,  
 en sa faueur, au droit qu'ils auoient sur la chose qui n'appar-  
 tenoit pas plus à lui qu'à eux; il peut acquérir alors la pro-  
 priété originaire, sans aucune prise de possession actuelle. Sic  
 Ger. Noodt, *L. II Probalium Iuris civilis, cap. VI*, uaria testi-  
 monia collegit illius sectae ueterum, quae statuerit, *solo animo*  
*etiam posse nos acquirere possessionem, etiamsi non antecedit*  
*naturalis possessio*. Item et celeberrimus D. Gundlingius, qui  
 de illustranda certisque finibus circumscribenda Iurisprudentia  
 naturali praeclare meritus est, in *P. III Viae ad ueritatem, p.*  
*161*, ita scribit: *Qui aliquid occupat, animum habendi appre-*  
*hendendique declarat. Hinc mea sententia ad occupationem*  
*non requiritur, ut manu, quod habere uolo, comprehendam,*  
*atque hasta, ut ita loquar, perpetuo premam: sufficit, me ani-*  
*mum habendi clare ostendisse, nec abiicere*. Equidem fieri  
 potest, ut horum quidam occupationem paullo latius, non  
 solum pro primo actu acquitendi domini rerum nullius, sed  
 simul pro ipso iuris possessionis et domini continuatione,  
 acceperint, existimarintque, dominium in rebus iam occu-  
 patis, ultra possessionem durare, solumque animo naturaliter  
 retineri posse: tunc uero eam controuersiam in praesens nolo  
 meam facere, quam recentiori aetate camprimis excitauit Cor-  
 nelius uan Bynckershoek, Ictus Belga, qui in *peculiari Dissen-*  
*tatione*, quam Libro *ad Legem VIII de L. Rhodia et iactu*,  
 adiecit, docuit, dominium possessione quaesitum, hac amissa,  
 perire; neque naturaliter animo posse retineri. Verum nos loqui-  
 mur de occupatione strictius dicta, de modo originario acquirendi  
 domini, eiusque initio; persuasique sumus, ad acquirendum domini-  
 um in rem nullius, quae non magis ad me, quam ad alios, antehac  
 pertinuerat, haud sufficere declarationem solam uoluntatis, sine  
 corporali apprehensione, nisi ceteri omnes consentiant. Patet hoc, ut



puto, ex rationibus, quas exposui supra, n. V, et quas sub initium huius *Paragraphi* uelut in compendio exhibui. Non enim sola uoluntas nostra, ut ea aliis euidentissime significetur, nobis sufficit ad proprietatem consequendam; neque uerum ius affert acquirendi aliquid, defendendique aduersus alios. Saepe insatiabilis et infinita est hominum habendi cupiditas. Si cupiendo, et cupiditatem declarando, possent sibi prae aliis res acquirere, quis ab initio, cum in paucitate hominum plurima adhuc terrarum loca uacua essent, illi uoluntati ullos terminos praescripsisset? Quae non dissidia futura fuissent, si in unius, etiam exiguae rei, possessionem forte conspirassent innumerorum hominum uoluntates: et quam incerta et controuersa forent dominiorum initia; si tot populi unum eundemque locum uacuum non quidem communi iure possidere, sed quisque pro se integrum habere uellent, suamque hanc uoluntatem satis testarentur. Ergo naturalis ratio certio rem propioremque modum requirit acquirendi prima origine domini, qui euidentius iura diuersorum hominum distinguat. Fac ergo, regionem aliquam ab omnibus incolis suis derelictam esse; fac, insulam in mari adhuc libero nasci, (enatarum autem exempla quaedam collegit Beermannus, in *Historia orbis*, P. I, c. V, §. 2.) eamque pone rem uulgo notam esse: credisne, sufficere ad huiusmodi rerum dominium acquirendum, si quis Princeps Europae, cui prae ceteris nullum propius ius fuerit, manifestissime uoluntatem suam habendi declaret, et uel per literas, uel praecones, ubique publicet, neque tamen actu occupet? Putasne, alios iura huius Principis turbaturos, eique facturos esse iniuriam, qui, etsi illius uoluntatem non ignorarint, ipso actu praeoccupent eiusmodi regionem insulamue, atque eam inhabitent, colant, atque muniant? At uero longe certius et naturali rationi conuenientius uidetur, rem nullius cedere primum actu occupanti. Atque ob adductas rationes, tantum abest, ut in occupandis rebus nullius sola sufficiat uoluntas ad iura aduersus alios ualitura; ut etiam tum, quando uolun-

uoluntas cum quodam actu apprehensionis coniungitur, ad effectum occupationem quodammodo necesse sit; ut uoluntas facultati apprehendendi quodammodo respondeat. Neque adeo naturali ratione unus homo insulam regionemque amplissimam uno actu ita occupasse dici potest, (etsi cetera supplere uoluntas uideatur,) ut alii mox eodem accedentes sedesque occupantes, ipsi fecerint iniuriam. Pertinent huc, quae ea de re scripsit ill. Thomasius, in *Aenotat. ad Huberi Ius Ciuit. L. II, Sect. IV, s. II. Ex immobilibus*, inquit, *u. g. solum incultum ne quidem possideri incipit, nisi in quantum incipit custodiri. Finge aliquem, naufragio ferri in insulam incultam. Hic sane, si uel momento postea alius eo feratur, non potest prior hunc ab occupatione excludere, etiamsi in medio insulae sedeat; etiamsi, antequam alter pedem in terra ponat, alta uoce exclamet, se iam possidere insulam cum animo sibi habendi. Sed potius tum demum res immobiles, quae sunt nullius, occupatae esse censentur, si coeptae sunt custodiri, aut si coeperim solo uti, ad quod destinatum est a natura, et usus duret; u. g. si aedificauerim in solo, si solum uallo et fossa, uel sepibus, circumdederim.* Vnde mirum et παραδοξον est, Velthuysium, Hobbesiana doctrina inductum, in *Dissert. de Principiis iusti et decori*, p. 100, et sequentibus, contendisse, unum et singularem hominem ius habere in totum uniuersum, nihilque ex parte proximi obstare, quo minus uniuersum totum una seruitute premere possit, si iudicet recto iudicio, id suis rebus expedire. Interim, quamuis ad acquirendum dominium rerum in medio positarum non ita ualeat sola declaratio uoluntatis habendi, ut ii contra regulas iuris stricte sic dicti agant, uolentemque iniuria afficiant, qui actu praeoccupent rem, et ab aliis defendant; fieri tamen potest, pro diuersitate personarum, ut contra humanitatis officia regulasque decori agant, qui uolentibus cedere nolint. Atque hinc dependet etiam ratio decidendae illius controuersiae, quae alias inter Iurisperitos multum

tum agitur: an. ad feram, quae nullius sit, acquirendam, sufficiat, illam a nobis uulneratam esse; an adesse debeat manus iniectio? Facile enim apparet, in statu naturali non ualere Trebatii sententiam, qui l. 5. §. 1. D. de acquir. rer. dom. statuit, *bestiam uulneratam statim nostram esse, et eo usque nostram uideri, donec eam persequamur; ita, ut, si per hoc tempus, quo eam persequimur, alius eam ceperit eo animo, ut ipse lucrifaceret, furtum uideatur nobis commississe.* Neque enim tunc talem bestiam ita iam possidere coepimus; ut, (quod ad occupationem efficacem requiritur) praec aliis eam ad usum nostrum conuertere, aliosque commode ab usu eiusdem prohibere possimus. Quapropter bene et naturalii rationi conuenienter ita scripsit Caius, d. l. 5: *plerique non aliter putauerunt, talem feram nostram esse, quam si eam ceperimus: quia multa accidere possunt, ut eam non capiamus: quod uerius est.* Quam sententiam etiam recte sequitur Imperator, §. 13 Inst. de rer. diuis. Interim, quamuis ille, qui uulneratam bestiam uulneranti praeripit actu, non agat contra regulas iuris stricte sic dicti; quia bestiam occupat, quae nondum prorsus in potestate uulnerantis fuerat, adeoque nec ius perfectum alterius laedit; omnino tamen is uidetur agere contra officia humanitatis, propterea, quod certe inhumanum est, alteri spem fructumque fere praesentem praescindere. Praeclare hanc in sententiam ita scripsit Vlr. Huberus, in Praelectionibus Iuris ciuilibus, ad L. II, tit. I Inst. *Quia occupatio non nisi apprehensione perficitur; consentaneum est, feram non esse eius, qui persecutus eam uulnerauerit, et spem capiendi habuerit proximam; sed qui cepit et apprehendit. Improbum (et inhumanum) tamen esse, qui feram ab alio pene captam intercipit, non est diffitendum, et iudicis erit, providere, ne malitiae (et inhumanitati) indulgentur. Quin nostro seculo, Trebatii sententiam magis obtinere, scribit Balduinus, ad d. §. 13. Grotius, l. 2, c. 4, Iur. Holl. tradit, dominum quidem fieri capientem; sed eundem multari posse, ut uenatorem importunum, als onbeuslyck jaagende.*

VII. Si

## VII.

Si igitur, quod hucusque probare conati sumus, ad originariam acquisitionem non sufficiens per se fuerit uoluntas habendi, sine apprehensione; etiamsi ea uoluntas aliis euidentibus delaretur signis; iam uelut e contrario noua quaestio in hoc argumento existere potest, an etiam fieri queat, ut aliquando nuda sufficiat apprehensio, sine certo animo, aut iudicio? Tum quidem minus ambiguum est, omnino ad perfectionem pleniorumque acquisitionem dominii eiusque usum facere, si et apprehensio corporalis, et animus sibi habendi, simul affuerit. Quo sensu *l. VIII D. de acquir. poss.* dicitur, *nullam possessionem acquiri posse, nisi animo et corpore.* Interim tamen, quia ipsa apprehensio, quamdiu fit, respectu aliorum hominum, est ordinarium signum declaratae uoluntatis sibi rem occupatam habendi, nisi contraria uoluntas manifesto aliunde constet; sequitur, ut iste omnino fraudulenter egisse censendus sit, qui aliis, dum u. g. rem pretiosam, quae fuerat antea in nullius potestate, uel corpore suo, uel ceteris rebus suis, comprehendunt, abstulerit; etiamsi hi nesciant rei pretium, neque nouerint, quid teneant. Et, ne ad argumentum de inuentione thesaurorum in praesens dilabar, hinc opinor, intelligi illam quaestionem: *an capaces sint dominii per occupationem acquirendi, quibus deest usus rationis, ut sunt infantes et furiosi?* Equidem hoc minime concedit Lessius, *de Iust. et Iure l. II, c. 4, dub. 1.* Soli, inquit, *creaturae rationali dominium competit: quod eo est, quia fundamentum omnis dominii est intellectus, et libera uoluntas, quae soli rationali naturae insunt, reliqua.* H. Grotius, *l. II de I. B. et P. c. III, n. 6,* scribit: *Si solum ius naturale spectemus, dominium non datur, nisi in eo, qui ratione utitur, etc.* Et Pufendorfus, *de I. N. et G. l. IV, c. 4, § 15.* Illud, inquit, *certum est, infantem et furiosum non posse originaliter dominium alicuius rei acquirere, seu per immediatam occupationem aliquid suum facere.* Qua in re probanda multus est Guil.

An et quomodo ad originariam acquisitionem aliquando sufficiat nuda apprehensio?

C

uan

uan der Muelen, in *Comment. ad Grotium de I. B. et P. I. c.* Verum, cum dominium non absolute fundetur in libero arbitrio et uoluntate; sed maxime in indigentia, et libero rerum usu, quem usum intellectus et uoluntas utiliter dirigunt; non uideo, quare furiosi et infantes, quatenus apprehendere ualent res nullius et sui conseruationi necessarias, etiam per modum acquisitionis originariae capaces esse possint domini acquirendi. Quia enim eadem, imo maiori, necessitate premuntur, et iisdem indigent ad eam necessitatem subleuandam subsidiis, quibus adulti et sana ratione praediti; et uero res creatae aptae sunt ad illorum conseruationem: iniustissimum foret, tales iis res apprehensas, easque uelut in medio positas, eripere, ex quarum inopia, aut miserius uiuere, aut perire, necesse haberent; quia hoc esset, illos eius iuris effectum priuare, quo gaudere eos natura ipsa uoluit. Taceo, quod afflictis afflictio maior non sit addenda.

### VIII.

*De occupatione symbolica.*

Quae hactenus exposuimus, quomodo cunque facere possunt ad modum occupandi, qui proprie sic dicitur, generatim intelligendum. Nunc non nihil etiam de *symbolica occupatione* dicemus; propterea, quod huius generis occupatio commemoratur in exemplo a nobis proposito. Nimirum, cum homines uiderunt, dominum earum rerum, quae nullius fuerunt, acquiri primum non potuisse, nisi per apprehensionem; hinc etiam, posteaquam introductum est singulare dominium, in transferendo illo, naturalem rationem acquirendi domini adhuc imitari uoluerunt, ita, ut, ubi etiam corporalis occupatio nec commode fieri poterat, neque per se opus erat, ad possessionem tamen, ipsumque dominium certius demonstrandum, effingerent quosdam modos, siue quaedam signa, quae uice et loco apprehensionis corporalis, siue ipsius occupationis, essent, eandemque quasi repraesentarent. Nos uocamus nunc *occupationem symbolicam*. *Symbolum* enim aliquando significat notam, siue argumentum, quod loco probationis esse queat. Vocatur etiam *fictitia*, aut *analogica*.

*logica*, aut *quasi occupatio*; quanquam quidam hæc nominatio  
 ex æquo admittant, et nominatim Iustinianus Augustus, in  
*Lectiombus Iuris contractis, ad Tit. Inst. de A. R. D. n. 32*, dif-  
 ferentiam inter *fictam* et *symbolicam traditionem* ostendat. Sic  
 uero, e g. secundum *L. LXXIII, D. de contrahenda emptione,*  
*clauibus traditis, ita mercium in horreis conditarum possessio*  
*tradita uidetur, si claues apud horrea traditae sint. Quo fa-*  
*cto, confessim emptor dominium et possessionem adipiscitur.* Item  
 secundum *L. XVIII D. de acquir. uel amitt. poss. Si uicinum*  
*mibi fundum mercato uenditor in mea turre demonstrat, ua-*  
*cuamque se possessionem tradere dicat: non minus possidere coe-*  
*pi, quam si pedem finibus intulisset.* Sic antiquo iure Saxo-  
 nico, traditis chirothecis, saepe traditiones, donationes, et cessio-  
 nes rerum immobilium, fieri consueuerunt. Vid. *Gryphander*  
*de VVeichbildis, c. XXXIII, n. 10.* Eodem iure Saxonico,  
 non licet capere et alueari includere apes in eiusmodi arbore  
 inuentas, quam alius tali signo notauit, quo indicaret, iam ali-  
 um occupasse apes, et domum abiisse, eo consilio, ut alueare  
 afferret recipiendis apibus idoneum. Huc pertinet Danorum  
*Scotatio*, quae uox Sueco-Gothica dicitur significare symbolum,  
 fuitque solennitas in uendendis terris, qua uenditor modicam  
 terrae partem in pallium emptoris, manibus assistentium exten-  
 tum, immisit, transferendi domini causa. Vid. Carolus du  
 Fresne, in *Gloss. med. Latin. sub uoce scotare*; item Cuiacius,  
*L. I obseru. c. 18.* Eodem modo rem occupasse is aliquando  
 censebatur, cui uenditor *festucam*, seu *fistucam*, uel *culmum*,  
 seu symbolum traditionis, exhibuerat. Cuiusmodi symbolicae  
 traditionis et acquisitionis plura exempla collegit Mollenbecki-  
 us, in *Disp. de Traditione symbolica*; et Strykius, in *Disp.*  
*de possessione instrumentali.* Imo, neque insolens est, iurisdic-  
 tionem per symbola acquiri. Quo spectat ablatio particulae  
 ex uestimentis occisi, et facta mensura uulnerum istius. Vid.  
 Excellentiss. D. Hildebrandus, in *Introduct. ad Iuris Princip.*

p. 217. Sed quis non intelligit, hanc symbollicam tradendi acquirendique domini rationem non pertinere ad *originarios*, sed *deriuatiuos* modos. In his uero *deriuatiuis modis* proprietates rerum uel ex sola uoluntate domini prioris, aut ui legis, transferri propagarique potest; aut saepe fati est, ut occupatio, siue possessio, actu minus pleno significetur; cum tunc non alii ius occupandi habeant; quod secus est in *occupatione originaria*, ad quam omnino plenior apprehensio requiritur. Et quamuis etiam aliquando inter gentes populosque liberos quidam modi symbollici occupationum inualuerint; dum, exempli causa, uel hasta in agrum hostium immissa, uel telo quocunque iacto, ius suum in terras hostiles designare et uindicare uoluerunt: sola tamen huiusmodi symbollica apprehensio, per se, et sine omni pacto, aduersus alios nullum nobis ius affert, neque alios a *reali occupatione*, quae potior est, excludit. Neque inter gentes liberas solus mos, siue consuetudo, cui praeualet naturalis ratio, ius ueramque uim obligandi affert; cuiusmodi morem simplicem qui insuper habet atque negligit, haud iniustitiae recte accusatur, sed aliquando neglecti decori: etsi ceteroquin in statu ciuili inueterata consuetudo ex tacito imperantis consensu saepius uim legis induat.

### VIII.

De rebus,  
quarum do-  
minium per  
occupatio-  
nem acquiri  
possit?

Porro, ad intelligendam uim acquirendi domini per occupationem, necesse est, ut attendamus, quarum tandem quarumque rerum dominium occupando acquiri recte possit? In his enim et moralis et naturalis quaedam conditio est consideranda. *Moraliter* requiritur, ut res sit uacua aliorum dominio; siue res in medio posita, quae ante occupationem non magis ad hunc, quam ad alium, pertinuerit. Laederemus enim alios, eorumque turbaremus iura, ac societatis humanae officia uiolaremus; siquidem nullo alio, nisi occupationis titulo, res aliorum dominio iusto subiectas, ipsis inuitis, inuadere, atque in nostram potestatem redigere auderemus. At res uacuas recte li-

cet

cet occupare, quae et dicuntur *res nullius*, hoc est, quae ne-  
 que publico usui attributae sunt, neque in dominium singulo-  
 rum ullo modo peruenerint. Sic loquitur Caius, *L. III. D.  
 de acquir. rer. dom. Quod nullius est, id ratione naturali occu-  
 panti conceditur.* Alias uero in iure ciuili. *res nullius* etiam alia  
 notione dicuntur. Sic Imperator, §. 7 *Inst. de rerum diuisione* :  
*Nullius sunt res sacrae et religiosae, et sanctae: quod enim di-  
 uini iuris est, id nullius in hominis est.* Occupari uero recte  
 possunt *adionota*, siue res in nullius singulari dominio positae;  
 siue antehac in nullius dominium unquam peruenerint; quales  
 res paucae adhuc supersunt; siue *derelictae*, et ex priori domi-  
 nio prorsus fuerint dimissae. Vnde et *occupationem in primam  
 et sequentem* doctrinae causa distinguit Vir Consultissimus,  
 D. Ephr. Gerhardus, in *Delin. Iur. Nat.* p. 168. *Prima enim  
 occupatio supponit rem nullius; subsequens, rem derelictam.*  
 Tales uero res derelictae pro rebus nullius habentur, adeoque  
 eodem modo rursus acquiruntur, mittunturque in proprietatem;  
 non ideo, quia res derelictae uideantur restitui primaeuae com-  
 munioni; (de qua adhuc uarie disputatur) sed quia reuera  
 non sunt amplius in alicuius potestate, et dominio; quod do-  
 minium facto hominis desit, uti primum coeperat. Itaque  
 naturali ratione nituntur ea, quae Iustinianus scribit, §. 46 *Inst.  
 de rerum diuisione.* *Qua ratione, inquit, uerius esse uidetur,  
 si rem pro derelicta a domino habitam occupauerit quis, sta-  
 tim eum dominum effici.* Pro derelicto autem habetur, quod  
 dominus ea mente abiecerit, ut id in numero rerum suarum  
 esse nolit, ideoque statim dominus eius esse desinit. Haec uero in-  
 telligenda de plena derelictione; nam, ubi in statu ciuili singularia  
 dominia dependent praeterea a dominio generali; tunc, si quid sin-  
 gulari dominio caret, aut derelinquitur, proprie non fit nullius; sed  
 ad uniuersitatem, aut dominum superiorem, redit; neque, nisi huius  
 consensu, ab aliis occupari, et in dominium mitti, potest. De plena  
 uero illa derelictione, recte scripsit Grotius, *L. II de I. B. et P. c. III, n.*



*XVIII: illud obseruatum non indignum, originariam acquisitionem censendam etiam rerum earum, quae dominum habuerunt, sed habere deserunt: puta, quia derelictae sunt, aut quia defecerunt domini: nam haec redierunt in eum statum, in quo primum res fuerant.* Haec de morali conditione rerum, quarum dominium per occupationem potest acquiri. Quod attinet ad *conditionem naturalem*; multi, eo inprimis consilio, ut hinc maris dominium negarent, tres requisitas conditiones ex parte rei ad dominium introducendum necessarias commemorarunt. Ita in *Iurisprudencia diuina*, L. II, c. X, §. 123. seqq. legimus, ad rem sub proprietatem mittendam requiri: *primum, ut ea usum aliquem hominibus mediate, aut immediate, possit praebere.* Deinde, *ut res non praebeat natura sua usum omnibus hominibus sufficientem, citra periculum dissidii.* Denique, *ut res ipsa apprehensioni et custodiae hominum aliquatenus sit obnoxia.* At enim uero, iam in *Specimine III harum controuers. n. XVII*, monuimus, has requisitas conditiones non in uniuersum ad omne dominium necessarias esse; cum reuera ad dominium, maxime per occupationem acquirendum, ex naturali conditione rei tantummodo requiratur, ut ea res *corporalis* sit, ita tamen, ut uel corpore nostro, uel certe rebus nostris, apprehendi usurparique possit. Res enim *incorporales*, ut in Iure uocantur, proprie loquendo et per se non occupantur, nisi quatenus cum rebus corporalibus coniunguntur. Iam uero ad *res corporales* pertinent omnes res, quae in sensum incurrunt, quae usui hominum inserviunt, et humana potestate apprehendi atque detineri queunt; quocumque nomine ueniant. Quamobrem et aer, et calor lumenque Solis, (quibus rebus alias nihil communius est,) quatenus quidem humana opera in usum nostrum conuertuntur; et quatenus rebus nostris contineri possunt, non ab omni eximuntur domino: ut adeo, si quis per aliquam artem nobis rebusque nostris aerem, quem necessarium capimus, abstrahere posset, is sine dubio ius nostrum turbaret, nosque afficeret

ficeret iniuria; haud fecus; ac ille aliquando, qui nostris luminibus obstrueret officeretque. Etiam maris dominium per occupationem acquiri posse, uix est dubium, quamuis non eo modo, quo fortasse res paruae et mobiles occupantur. Quodsi enim mare non esset *occupabile* et domini capax; cur tot bella de dominio maris identidem orta essent? Certe de dominio solis ac lunae nemo hominum facile digladiabitur. Nihil adeo attinet, in praesens sigillatim recensere uaria rerum genera, quae in usum humani generis a natura productae occupari, et in nostrum usum conuerti possunt, quamuis omnino pro diuersa rerum natura diuersus etiam apprehendendi et possidendi modus existat. Quidam huc etiam referunt res incorporales, et nominatim imperium; sed cum tales res proprie et per se ac *immediate* non occupentur; neque nos uoluimus eas nunc in *obiectis propriae occupationis* commemorare.

#### X.

Sequitur, ut et de EFFECTV occupationis non nihil dicamus, quo eius uis atque efficacia eo magis pateat. Sunt enim, qui putent, occupationem non tam modum acquirendi domini esse, quam duntaxat modum capiendi possessionem rei alio iusto titulo iam acquisitae. Vid. Io. Strauchius, de *Imperio maris*, c. 1, §. XII. Quod si esset, aliquando deuolueretur in tot populos insuperabile onus probandi, suum ius in terras alio et iustiore, quam occupationis, nomine fuisse acquisitum. Equidem hoc certum est, per occupationem, quae in corporali rerum apprehensione consistit, *immediate* et per se primum fluere possessionem; quia occupatio, uti ostendimus, reuera est possessionis initium: interim, dum sic possidere coepimus rem uacuam, quae in nullius alterius potestate est, eo ipso sine prohibitione legum naturalium, et sine laesione iuris alieni, *facultatem ac ius* nanciscimur, ea re utendi, aut eandem in futurum usum detinendi; et dum primi occupauimus, et possidere rem coepimus, ea ipsa res ita ad nos pertinere coepit, ut nobis inuitis

utis eodem modo non pertineat ad alios; cum multarum rerum ne quidem usus nobis esset sine exclusione aliorum: unde existit initium proprietatis, et iuris a rei-usu excludendi alios; quibus adeo omnibus partibus iam constitui incipit dominium. Ita quidem ex occupatione per quandam consequentiam oritur dominium; imo illud in actu ipso occupationis eatenus constituitur, ut, dum occupamus, iam facultatem habeamus re ista pro lubitu utendi, aut non utendi, atque ut sine iniuria alii rem occupatam nobis eripere nequeant. Id quod in *rebus fungibilibus* satis, ut opinor, apertum est, quae ita mox per apprehensionem in usum conuerti possunt, ut alii perpetuo excludantur. In *rebus uero non fungibilibus*, fateor, sola occupatione (nisi eam sensu laxiore etiam pro continuata possessione et usu accipiamus,) non acquiri tam plenum perpetuumque dominium, ut earum rerum, quas nullo amplius modo possidemus, perpetui domini permaneamus. Interim tamen et in his rebus occupatio facultatem nobis affert rem libere tenendi, custodiendi, usurpandi, dimittendique. Quae cum ita sint, et cum, quod quisque occupauit, id ei alius eripere, nisi per iniuriam, non possit, sequitur, ut occupans in re occupata iam habeat aliquod dominium. Equidem negat ill. Thomafius, in *Iurispr. diuina*, L. II, c. X, §. 83, tale ius momentaneum mereri titulum domini atque proprietatis. Et fortasse idem intendit consultius Gribnerus, in disp. *de eo, quod iustum est circa feras ex custodia elapsas*, ubi ait, ad acquirendum dominium non sufficere occupationem, hancque solam praeter possidendi ius haud quicquam tribuere. Verum, licet concedamus, dari quosdam uelut gradus domini; tamen, cum rem occupatam libere uel retinere, uel dimittere, uel ea mox uti, uel non uti, possimus; neque alii aequalem nobiscum facultatem habeant; agnoscimus omnino uim quandam domini; quae uis, quamuis eatenus, quoad cum ipsa occupatione duntaxat coniungitur, sine respectu ad continuationem iuris possidendi, sit fere tantum momentanea, reuera tamen

tamen pertinet ad *essentiam* dominii ; cum tempus et duratio dominii magis sit quoddam *accidens*, neque ipsam dominii naturam per se constituat, adeo , ut reuera dominus extiterim rei iusto titulo acquisitae, quam uel per breuissimum tempus libere detinuerim.

## XI.

Sed effectus dominii adhuc paullo uberius est explicandus, et ipsi uelut fontes iuris occupationis sunt aperiendi. Nimirum grauis nunc oritur quaestio, quomodo iuste fieri possit, ut, cum omnium hominum aequalis facultas res nullius occupandi ufurpandique ponatur, occupatione sola, quae nudus actus physicus atque corporalis est, dominium, h. e. eiusmodi ius, acquiratur, quod, si uelit occupans, in perpetuum ceteris praeiudicet? In quo elaborauit etiam Lambertus Velthuysius, in *Dissert. de Principiis iusti et decori*, p. III, ut monstraret, non esse dictamen iuris naturalis, rem, quae possessorem non habet, cedere primo occupanti. Operam uero dabimus, ut pro uiribus hanc partem expediamus. Nimirum antea distinguimus inter causam titulumque, quo ex *regulis iuris* rem nostram aduersus alios tueri possimus, ut ne aliorum iura uolasse intelligamur, ac ne alii nobis, occupantibus res nullius, eas occupatas iuste eripere possint; et inter causam titulumque, quo ex *regulis pietatis et honestatis*, et ex intimiore cognitione legum naturalium, ipsi possimus mente nostra tranquilli certique esse, Deo omnino uolente et approbante fieri, ut per occupationem rerum nullius ualidum et iustum dominium constitutur. Quod primum ad titulum dominii per occupationem iuste acquisiti in ordine ad alios attinet; sufficit, tanquam *immediata causa*, ipse hic originarius modus acquirendi dominii, siue ipsa occupatio, cuius natura et proprium est, eam rem apprehendere atque sibi applicare, a qua alterius abest ius peculiare, quod occupationem impedire possit: qua ipsa ex causa fit, ut alterius iura peculiaria per occupationem talium rerum non turbentur. Ac si alter primum aequa-

*Quae causa  
quisque titu-  
lus sit, cur  
iustum ex  
occupatione  
dominium  
constitua-  
tur, in ordi-  
ne ad alios?*

lem cum omnibus facultatem habuit, illa quidem facultas ualuerat ad res adhuc nullius occupandas, non uero ad res, quae iam ab aliis sunt occupatae, inuicis eripiendas; nisi summa necessitas tale quid permittat. Hinc itaque interpretandi sunt quidam Iureconfulti, qui tradunt, in originariis acquirendi domini generibus modum ipsum acquirendi (qualis est occupatio,) et titulum, siue causam, idem esse: in traditione autem differre; quia traditio tantum per se sit possessionis translatio; causa uero praecedens ipsam uim domini conferat, ueluti donatio, uenditio, permutatio, et similes. Vid. Schilterus ad § 41 *Inst. de Rer. diuis.* Quomodo autem occupatio aliorum ius non uiolet; ea res, auctore Cicerone, declarari potest aliqua similitudine theatri, in quo omnibus ciuibus sine ullo discrimine status, aut dignitatis, aliusque ordinis, eadem facultas idemque ius sit occupandi locum, ubi quisque sedeat, et unde spectet. Quiuis locus, nulli adhuc assignatus, tunc respectu singulorum est uelut res nullius. Vnde uero fit, ut tunc proxime habeat quisque ius sedendi in certo loco, ex quo eiici ab aliis non possit; nisi quia primus locum occupauit? Sufficit adeo huic iuri asserendo, praueuisse, et sedem praecoccupasse. Neque uero occupans ea praecoccupatione iniuriam facit aliis, qui antea parem habuerant facultatem illum ipsum locum occupandi, et nunc fortasse mallent eodem loco uti; quia occupans usus est iure suo. Quamobrem ab omni tempore creditum est, ad dominia rerum defendenda aduersus alios, sufficere ipsum titulum occupationis; et plerique populi, cum ultimas regionum suarum repetunt origines, si non alius legitimus ordo traditi sibi domini constet, haud uident, aliam iuris sui causam iustam afferri posse, quam titulum occupationis terrae uacuae. Hinc Cicero, *L. I de Off. c. VII*: *Sunt, inquit, priuata nulla natura; sed aut ueteri occupatione, ut qui quondam in uacua uenerunt; aut uictoria, ut qui bello potiti sunt; aut lege, pactione, conditione, sorte.* Hinc toties audimus: *Quod ante nullius est, id naturali ratione conceditur occupanti.* Haec ad causam

*causam immediatam* dominii per occupationem: acquirendi pertinent, et ad demonstrandum defendendumque illud ius aduersus alios; prout nimirum occupatio effectum habet in ordine ad alios.

## XII.

Iam de *caussa* uelut *remotiore*, at propria internae iustitiae, dispiciemus, quae quidem et ipsa *causam* illam iuris externi corroborat; maxime tamen tranquillat mentem nostram, et ostendit, in occupatione rerum uacuarum nihil iniquum, nihilque inhonestum esse. Haud uero pulchrior titulus meliorque *caussa* iustitiae, qua modus dominii per occupationem acquirendi nititur, agnosci demonstrarique potest, quam quae petitur a *concessione diuina*. Quid enim iustius, quidque honestius esse potest, quam illud, quod fit concedente et approbante DEO? Quod uero non ita est intelligendum, quasi DEVS ipse singularia constituerit dominia, aut occupandas partes singulis attribuerit; sed satis est, cognoscere, DEVM generatim concessisse humano generi ius in res huius inferioris naturae, et eas apprehendendi et possidendi, iisdemque utendi, facultatem dedisse, quam fieri possit optime, h. e. prout felicitati et tranquillitati generis humani fuerit conuenientissimum. Iam uero, ipsa Philosophia et ratio ex contemplatione naturae rerum inuenire potest, hunc modum acquirendi dominii in res nullius, per se, et ipsa natura duce, tranquillitati generis humani ac naturae socialis uitae maxime conuenire, adeoque concedente et approbante DEO, auctore naturae sapientissimo, fieri. Non iam multis repetam ipsius iuris hominum in res creatas origines, quae tum ex natura hominis ad uitae conseruationem creati, sed rerum indigentissimi; tum ex conditione multarum in orbe rerum, ad conseruationem et commoditatem humani generis aptissimarum; tum denique ex ipsa bonitate sapientissimi conditoris, inuestigantur, adeo, ut haud difficulter colligi possit, Deum benignissimum indulsisse rerum a se conditarum usum humano generi, sic, ut neque ipsi DEO, qui ita uoluerit, et

*De iustitia interna occupationis, in ordine ad nos.*

nostram aliarumque rerum naturam hoc modo ordinavit; neque rebus creatis usui nostro inferuentibus, iniuria fiat; propterea quod eo sine creatae intelliguntur. Quomodo uero ex eo iure, quod DEVS humano concessit generi, oriatur vis occupationis ad efficiendum dominium, nunc paucis expendemus. Nimirum, ubi dantur res nullius, et uelut in medio positae, ad quarum usum nemo mortalium prae ceteris iam peculiare ius habeat, quae tamen res productae sint in usum hominum; ibi dicitur ratio, eum hominem naturae conuenienter agere, quicumque usum sibi uindictet rei nondum ab aliis occupatae: quippe nihil prodesset aptitudo rei in medio positae, et ad inferuendum hominibus diuinitus comparatae; cum, quamdiu res nullius est, manetque, nullam praestet utilitatem. Adhaec frustra tributa esset hominibus facultas naturalis atque ius utendi rebus, si iis non reuera possent uti. At uero non possunt homines rebus uti, nisi interueniente facto eas ad usum applicent; neque possunt illas applicare ad usum, nisi easdem arripiant atque apprehendant, hoc est, *occupent*; quia res non facile se applicant ipsae ad usum nostrum. Sed et frustra occupent homines res, si alii idem ius occupandi semper retineant, et alius alium in infinitum impedire, remque occupatam primis occupantibus eripere possint, ne hi eam in usus suos conuertant: propterea quod per naturam fieri non potest, ut omnes omnino homines aequaliter una eademque re utantur; et quod multae res eius sunt naturae, ut ne possint quidem inferuire usui hominum, nisi propriae teneantur, aut absumentur, adeoque in perpetuum alii ab earum usu excludantur. Quia ergo absurdum foret, DEVM dedisse hominibus facultatem utendi rebus, quam facultatem alii, si uellent, in infinitum possent impedire, et unde infinita nascerentur bella: hinc adeo patet, per naturalem rationem, ipsa occupatione et applicatione eiusmodi rerum ad suum usum, necessario inuolui in aliis *obligationem abstinendi a rebus* iam occupatis et in usum occupantium conuertendis. Qui effectus, uti in aliis

aliis reuera est *necessitas moralis abstinendi a rebus nostris*; ita ipsis rebus occupatis iam inducit *proprietas*, per quam alii excluduntur: nobis uero occupantibus ius conciliat libere disponendi de rebus occupatis i. e. *dominium*. Hoc est, quod Ambrosius, *L. I Off. c. 28*, dixit, *usurpationem fecisse ius priuatum*. Hi igitur sunt ueluti natales et progressus domini ex occupatione nascentis. Atque adeo, cum DEVS ipse ita naturam rerum ordinauerit; quisque, qui rem usui hominum productam, et alieno dominio reuera uacua, occupando suam fecerit, et ad proprium usum applicauerit, tranquilla conscientia esse potest, se concessionem diuinam conuenienter egisse, et saluo iure rem occupatam ab aliis defendere posse. Nolo nunc eandem uim occupationis specialius demonstrare etiam ex lege de custodienda socialitate; cum per se pateat, in rebus nullius ad usum nostrum conuertendis nullum modum litibus terminandis occupatione esse aptiorem. Omnes enim alii modi, quos finxeris excitauerisque, aut incertiores et obscuriores erunt, aut ambagibus impediti, qui nequeant deduci in actum. Vbi enim omnes quidem homines naturaliter aequali iure in res nullius, quae usui hominum destinatae sunt, fruuntur, neque tamen fieri possit, ut una res omnium usui ex aequo inferuiat: quid aequius et ad euitandas lites infinitas facilius, quam ut is, qui prior et proxime per occupationem rem possidet, et suo usui applicare potest, prior etiam iure censeatur? Ita enim, qui possidere coepit, eo ipso in pari causa iuste haberi potest potior ceteris; neque tamen ceteri, qui antea naturaliter eodem iure fruebantur, ideo simpliciter deterioris conditionis fiunt, cum similiter facultate polleant occupandi alias res nullius, et, si eas occupauerint, sibi detinendi, atque, exclusis aliis, libere usurpandi. Quoniam adeo rerum nullius haud ullus usus esset, si liceret occupatas occupanti a quouis eripi, (quod nullus occupans sibi fieri uellet,) hinc ius occupationis etiam illa regula uitae socialis proxime munitur: *Quod tibi non uis fieri, nec feceris alteri*.



An necessa-  
rio requi-  
rantur pa-  
cta, ut pri-  
ma occupa-  
tio aliquod  
ius efficiat?

Quamvis ergo, ipsa natura duce, vis atque efficacia occupa-  
tionis colligatur; sunt tamen, qui doceant, nihil per se efficere  
occupationem, neque ullum nobis ius afferre, nisi omnes alii ho-  
mines, expresso, uel tacito pacto, consentiant, ut rem nullius ap-  
prehensam retineamus. Ex pacto igitur humano et conuen-  
tione, non ex ipsa occupatione, ius dicunt quoddam fluere, et  
dominium acquiri. Sic Lambertus Velthuysius, in *dissert. de*  
*Principiis iusti et decori*, p. 110, scribit: *Prima occupatio, ante*  
*pacta, nullum ius proximi in aliquas creaturas indicat.* Hanc  
sententiam multis in locis *de I. N. et G.* sequitur Pufendorfius,  
docetque, *ad originariam dominii acquisitionem opus esse alio-*  
*rum hominum consensu.* Ita nominatim, *L. IV, c. IV, n. 4:*  
*Proprietas rerum, inquit, immediate ex conuentione hominum,*  
*tacita, aut expressa, profluxit.* Zieglerus, in *notis ad Grotii*  
*I. B. et P.* p. 225, tradit, *occupationem non esse legitimum ac-*  
*quisitionis titulum, nec quenquam dominii sui securum esse posse,*  
*nisi supponamus pactum tacitum.* Superfedeo aliorum aucto-  
ritatem nunc excitare. Verum huiusmodi philosophia ambages  
fectatur, sine necessitate. Si enim iam naturali ratione, uti osten-  
dimus, per se ex ipsa occupatione *immediate* nascitur ius atque  
dominium; quid opus est pactis, siue consensu atque conuen-  
tione ceterorum hominum? Ac certe inuertam potius ratio-  
nem dissentientium, et nihil dubitabo asserere: si iustitia domi-  
nii originarii per occupationem acquisiti non alio fundamento,  
nisi consensu hominum ceterorum, niteretur, fieri non posse, ut  
hodie aliquis salua conscientia rem sibi teneat, usurpet atque  
uindictet, quam, quia in nullius hominis fuerat dominio, occu-  
parat. Sive enim dixeris, ad ius occupationis constituendum  
requiri totius humani generis consensum; siue postulari consen-  
sum particularem et quorundam duntaxat hominum; occupan-  
tis conscientia minime secunda atque tranquilla reddetur. Primum  
enim consensus particularis, siue quorundam hominum uoluntas,  
sufficere

sufficere nullo modo potest; quia propter aequalitatem naturalem omnium hominum inter se, etiamsi non nulli facultati suae et iuri in res nullius renunciarint, hi ceteris tamen, qui non renunciarunt, nihil praecudicare possunt; sed horum ius tunc semper saluum fuerit, ac saltem, si uolent, in communionem rei occupatae tecum uenire debebunt. Contra uero sufficere quidem posset consensus omnium omnino hominum, ut tranquillus possideas usurpesque rem occupatam; at enim uero uniuersalis huiusmodi consensus nunc prorsus est *impossibilis*. Taceo, quod, si a solo consensu et a conuentione ceterorum hominum dependeret ius, quod occupatione quaeritur, tunc semper futuri sint, qui neque ante occupationem, neque post occupationem, uelint consentire; sed qui reclamant, et sibi potius rem inuentam uindicasse malint. Si quis forte excipiat, etiamsi multi non consentiant, eos tamen ob socialitatis leges consentire debere: tunc respondeo, eam ipsam rationem atque causam, ob quam alii consentire debeant, ut occupans rem antea nullius sibi propriam teneat, esse proximam causam, cur etiam sine consensu ceterorum occupatio uerum ius afferat; neque adeo opus esse ambagibus. Regerat aliquis, non quidem opus esse hodierni orbis consensu; sed ius occupationis a primaeui orbis consensu atque pacto dependere. Ita enim Grotius fere loquitur, *L. II, c. II, §. 2, de I. B. et P. Simul atque communitio displicuit, nec instituta est diuisio, censeari debet inter omnes conuenisse, ut, quod quisque occupasset, id proprium haberet.* Add. Pufendorf. *de Off. Hom. et Ciu. I. I, c. XII, n. 2.* Sed illud pactum est nimis fabulosum; quod, quia in facto positum, nullis, neque sacris, neque alijs monumentis, proditum legitur, haud certos de iure poterit reddere possessores rei occupatae. Vnde bene Gotl. Gerh. Tittius, ad Pufendorf. *de O. H. et C. Obseru. 280: Nimis scholasticum, inquit, uidetur, rudioribus hominibus, quales post lapsum primos mortales fuisse, probabile est, tam profundam curam tribuere, ut aeterno pacto posteritati, post multa saecula uenturae,*

uenturae , quoad acquirenda rerum dominia prospexerint. Huius sane tabulas sancte asseruari , posterorum intererat ! Hinc alii dudum huius hypoteseos infirmitatem agnouerunt , et nominatim in Grotio , Io. a Felden , et Guil. uan der Muelen ; in Pufendorffio , Io. Nicol. Hertius , Io. Barbeyracius , et Gotl. Gerh. Titius , animaduenterunt. Interim tamen facile concesserim , posse ius occupationis originariae aliquando facilius et tutius securiusque reddi , si occupantes cum iis , quorum praecipuam uim timeant , de non laedendo turbandoque iure occupandi et possidendi paciscantur. Sed haec non forent , nisi pacta et foedera amicitiae , per quae non primum ius-occupationis nasceretur ; sed huic ipsi iuri , quod iam in natura fundatur , maior securitas conciliaretur : quia , qui contra huiusmodi agerent pacta , duplicem incurrerent reatum , tum ob inuasionem rei alienae ; tum ob perfidiam atque periurium.

### XIIII.

*Respondetur quorundam argumentis , qui tradunt , si ne consensu aliorum atque sine patris , per occupationem originariam nullum dominium posse acquiri.*

Equidem , ut illustrandae huius doctrinae causa dubia et obiectiones quasdam paucis expendamus , praecipua ratio dissentientium in eo argumento sita esse uidetur , quod Pufendorffius , de I. N. et G. L. IV , c. IV , n. 5 , ex Velthuyfio ita collegit : *Posita aequali facultate primaeva hominum in res , non posse intelligi , quomodo nudus actus corporalis unius , qualis est occupatio , ceterorum facultati praeiudicare possit , nisi ipsorum accedat consensus , i. e. nisi pactum interueniat.* Ratio noua in eo uidetur latere , quia , qui occupatas res sibi proprias faceret , et alios ab earum usu excluderet , priuaturus sit omnes alios homines iure aequali , quod a natura habuerant in res usui humano productas , eoque nomine illos , qui antea iure aequali fruebantur , deterioris facturus sit conditionis ; quod iuste fieri nequeat , nisi hi sponte et consensu suo sese aequali iure abdicent. Speciosa quidem haec est argumentatio , ad quam tamen iam supra ex parte responsum est. Nimirum , concedimus quidem , naturaliter omnes omnino homines cognosci eiusdem conditio-

conditionis, eiusdemque naturae participes; et naturaliter omnes res creatas, quae usui hominum sunt destinatae, quamdiu non sunt in alicuius dominio, aequae patere omnium usui, neque in iis quicquam reperiri; quod tales res uni saltem certo uel quibusdam hominibus a natura assignatas esse ostendat; atque inde aequalem facultatem, et aequale ius omnium hominum, in res creatas et nulli adhuc certo dominio subiectas, facile demonstrari: attamen illud aequale ius saltem pertinere affirmamus ad res, quae nullius sunt; non uero ad res, quae iam sunt alicuius, quae iam sunt occupatae, atque ad usum ab aliis accommodatae. Duae enim hic concurrunt regulae iuris naturalis; quas iam supra per ratiocinationem indagauimus. Altera haec est: *Omnnes homines natura sunt aequales, et aequale ius habent ad res sibi acquirendas, quae sunt nullius, et tamen inseruire possunt usui hominum.* Altera regula haec est: *Res nullius cedunt primum occupanti.* Prima regula dat ius occupandi; altera, ius rem occupatam ad usum applicandi et sibi uindicandi: quod ius ab illo, haud fere secus, ac actus a potentia, differt; quia reuera inducit usum rerum creatarum. Posterior uero regula non est contraria priori, sed eius uim atque efficaciam magis demonstrat: quia frustra per regulam primam omnibus hominibus aequale ius in res nullius concessum fuisset; si, quod concedit regula posterior, non alicui hominum liceret occupando rem nullius facere suam, inque usum suum prae ceteris conuertere; id quod sapientissimi creatoris uoluntati aduersaretur. Quapropter, qui rem nullius occupando sibi uindicat, non uiolat aequale ius ceterorum hominum, quo hi eatenus tantum gauisi sunt; quatenus res reuera fuit nullius; non uero, quatenus iam alicuius facta est. Hinc neque occupans proprie dicendus est *privare ceteros omnes iure aequali*; quia hoc aequale ius per ipsum naturae ordinem tunc cessare debet, quamuis occasione occupationis. Adhaec neque occupans necesse habet, ius suum repetere a consensu aliorum, in quorum dominio res nondum actu fuit;

E

quia,

quia, uti satis hucusque demonstratum est, occupans iure suo ab ipsa natura concessio utitur. Denique, satis apparet, illam aequalitatem naturalem hominum non esse ita absolutam atque perpetuam intelligendam, ut ea, ductu rectae rationis, non intra terminos subsistat. Quodsi enim ab illa aequalitate nunquam esset recedendum, etiam aliquando inuita multorum uoluntates, tunc sane, quod absurdum foret, nunquam liceret certis hominibus, rebus in medio positis, et a DEO tamen in usum hominum conditis, uti, resque tunc frustra a DEO in usum hominum creatae essent: quia ex dissentientium sententia, quoties huiusmodi rebus occupantes uterentur, et per usum suum a pari usu alios excluderent, ubi quidem rerum natura aequalem omnium hominum usum admittere non posset; toties aliorum ius aequale uiolare dicerentur; maxime cum ob praetensam aequalitatem naturalem, et sicubi ius occupationis ab aliorum dependeret consensu, semper alii futuri sint, qui in occupantis dominium consentire nollent. Si uero illud praeterea urgeas, quod in superiori argumento Velthuysius et Pufendorfius urfisse uidentur, occupationem esse actum mere physicum, et acquirendo iuri non idoneum, per hoc fortasse ratiocinium: *Quaecunque actio est mere corporalis et physica, illa nullum ius, nullumque dominium, producere potest; Aequi occupatio, siue apprehensio, est actio mere corporalis et physica; ergo occupatio nullum ius dominiumque producit*: tunc conuello propositionem assumptam, et nego, occupationem eiusmodi rei, quae fuit nullius, esse actionem mere physicam; propterea quia talis occupatio, uti supra copiose demonstratum est, conuenit cum natura et hominis et rerum a DEO creatarum; ac speciatim munitur lege de conseruatione sui ipsius, et de custodia socialitatis, adeoque, ipsa natura duce, in permissu DEI summi fundatur. Sed Velthuysius, *de Princ. iusti et decori*, p. 110, tria distincta affert argumenta, quibus probare uoluit, rem, quae possessorem non habet, non per se iure naturae cedere primo occupanti; nisi ex pacto.

pacto. *Primo, inquit, quia tunc nullo iure, in quocunque etiam necessitatis casu constituar, ad me redire possunt talia bona; cum id tantum locum habeat in bonis, quorum cessiones feci proximo uoluntate: at paucos reperias, qui bonis ea ratione partis talem praerogatiuam concesserint.* Hoc uoluit dicere Velthuy-

sus: Si dominia non per pacta constituantur, et si prima occupatio per se efficeret ius cum exclusione aliorum omnium, tunc secutorum, ut nullus super sit iustus titulus, quo homines, qui in extrema necessitate constituti, conseruandae uitae suae causa, aliis non nihil auferunt, hoc factum recte excusare possint; propterea quod, uti hic scriptor putat, hoc unice ideo liceat, quia homines omnes in aliorum dominium saltem sub exceptione summae necessitatis consensisse intelligantur. Verum, ipse Pufendorfius, qui alias propugnat pro Velthuyssii sententia, non diffitetur, in hoc argumento parum neruorum deprehendi.

Profecto enim illud ius in casu summae necessitatis utendi aliorum inuitorum bonis, haud deriuandum est ex illo incerto pacto eiusque dubia conditione; sed ex iis ipsis legibus naturalibus, quibus in uniuersum nititur dominium eiusque ius acquirendi. Adeoque longe certior titulus superest, quo tale factum defendatur. Bene hanc in rem scripsit Guil. uan der Muelen, ad

*Grot. de I. B. et P. L. II, c. II. §. 2. Quemadmodum a natura concessa est facultas rerum uacuarum occupatione acquirendi dominium et usum; ita etiam eodem iure temperatur, et limitatur. Quod pro humani generis et singularis cuiusque membri conseruatione atque utilitate introductum; id ipsum duriore interpretatione contra ipsorum commodum utilitatemque inuertere, non patitur aequitas naturalis.* Sed haec res alibi copiosius est excutienda. Porro, contra ius occupationis

ita argumentatur Velthuyssius: *Quare ex prima occupatione potius ius proximo accrescet, quam ex prima detectione, quae fit oculis? Certe hic nihil aliud reperies, quam gentium institutum, quod primo occupatori ius in illam terram ac-*

*sedere uoluit; non autem ei, qui primum in conspectum uenit.*  
Verum uehementer fallitur Velthuyfius, si non ingens discrimen inter improprie sic dictam, et proprie dictam perfectamque occupationem, etiam naturali ratione existere agnoscat; quod supra multis probatum dedimus. Introductum est dominium, plurium in uita sociali incommodorum euitandorum ergo, maiorisque tranquillitatis causa. Ergo ad hunc finem, etiam naturali ratione comparati esse debent modi acquirendi domini. Iam uero, si, quod iam supra monuimus, uisu solo res acquiri possint; quam innumetabiles homines unam eandemque rem simul uidere, aut certe dicere possint, se uidisse? Quis horum iura potiora discernat? Quam multae et inextricabiles lites hinc existerent: cum e contrario propria et corporalis occupatio singulorum iura multo facilius luculentiusque designet? Taceo, haud paucas res oculis quidem a nobis uideri, nunquam uero ideo attingi, aut in usum nostrum conuerti, nostroque dominio subiici, posse. Postrema ratio Velthuyfii haec est: *Finge, inquit, duos homines: alterum pedibus pernicem; alterum tardum; liquet, quam iniqua hic composita sint paria in acquirendis dominiis.* Hanc obiectionem primum retorquere possimus ad ipsam Velthuyfii *hypothese* conuellendam, statuente, *primo occupanti ex natura non deberi ius in id, quod occupatur; nisi per pactum expressum, uel implicitum.* Quod si enim certorum hominum pertinax dissensus fingatur, nunquam fieri possit, ut quis per occupationem sibi dominium acquirat, etiam si rerum indigentissimus. Et concedimus, per infortunium, aut infirmitatem uirium naturalium, aliquando homines iure suo uti non posse; ac propterea non tollitur ius aliorum, a natura ordinarie constitutum; neque iniusta in aliis redditur occupatio rerum uacuarum; quam occupantes in huiusmodi casu aliquando contra humanitatis officia agere possint. Quae res, si chartae spatium permittat, nunc quodammodo illustrari queat exemplo hominis mi-  
seri et aegroti, qui per triginta octo annos ad piscinam, *Bethesda*,  
iacu-

iacuerat, tamdiu ab aliis in occupanda salutari aqua praeuentus. *Iob. V. 7.* Ceterum et infirmis infortunatisque huiusmodi hominibus nihilominus natura etiam alio modo in hac uita prospexit, ceteros per leges humanitatis et aequitatis naturalis ad misericordiam et beneficentiam instigando.

### XV.

Restat, ut nunc etiam de iure plurium in rebus uacuis occupandis concurrentium agamus; sed uereor, ut hoc argumentum in praesens a nobis expediri possit. Interim illud hac in re considerandum putamus: primum, utrum plures concurrentes libere et sine ulla mutua *dependentia*, aut praeuio pacto, uenerint ad rem, quae alias nullum dominum habet, occupandam; an ex praeuia conuentione? Si libere, et sine praecedente pacto; tunc rursus attendendum: num omnes proprie et eadem opera, an partim improprie, rem occuparint? Si proprie; tunc quibus fruitur naturali effectu occupationis, et cuius de iure tantum attribuendum, quantum reuera occupauit: sicubi uero res diuidi nequeat, tunc aut communitio iuris existit; aut, si res est tanti, per compensationem, uel aliam conuentionem, ab altero occupante redimenda est. Sin alius proprie et corporaliter, alius improprie et per symbolicam quandam rationem, rem simul occuparint; tunc ordinarie improprie dicta occupatio cedit occupationi proprie sic dictae; quae posterior sola, naturali ratione, ius constituit, per rationes supra expositas; nisi iis, quibus potius et perfectius ius est, regulae humanitatis, uel prudentiae, aut aliae circumstantiae, suadeant, ut et alios, quorum per se nullum perfectum ius fuerat, ad communionem iuris admittant. Sin plures certo consensu inter se conueniant, et de occupandis rebus inuicem paciscantur; tunc, quale pactum est, talis est fructus occupationis; et tota res dependet a praeuia conuentione; controuersiaeque ex natura pactorum sunt interpretandae. Tunc adeo, pro diuersis conditionibus pactorum, fieri potest, ut symbolica occupatio praeualeat subsequenti, proprie



prie sic dictae occupationi ; tunc et ille , qui plane non interfuit occupationi , potest ui pacti in communionem iuris rei occupatae uenire , et qui sunt alii huius generis modi. Quod enim fuit primum uoluntatis et liberi iuris , illud fit deinde , per uim pacti , necessitatis. Huc pertinent et illi modi occupandi , quos memorat Grotius , *de I. B. et P. L. II, c. II, §. 4.* Vnam enim *occupationem* uocat *per uniuersitatem* , quae fit per populum , aut eum ; qui populo imperat ; ubi publico acquiritur , quicquid occupatur. Aliam uocat *occupationem per fundos* , quando singulis res acquiruntur ; uel *libera occupatione* , ut cuique , quantum apprehendit et inuenit , relinquatur ; uel *assignatione* ; quando per certos praefectos cuius priuato certae portiones rerum occupatarum attribuuntur. Conf. Pufend. *de I. N. et G. L. III, c. VI, n. 3.* In statu enim ciuili ius occupationis dirigitur per leges ciuiles , et per uoluntatem imperantium : *humana enim iura* , uti Grotius alicubi loquitur , *constituere multa possunt praeter naturam ; contra naturam nihil.*

## XVI.

Breuis applicatio huius doctrinae ad controuersiam propositam.

Iam fere defessi redimus ad controuersiam ab initio propositam , uelut digito intento ostensuri , quomodo ea ex quibusdam capitibus superioris doctrinae possit explicari. Haud uero nunc repetemus illa : *an nempe Acanthus urbs , a barbaris derelicta , potuerit iuste occupari ? An isti populi Graeci per exploratores suos urbem occupare , et occupatam sibi uindicare , recte potuerint ? An non necesse habuerint , ex pactis ius suum in urbem occupatam aduersus alios deducere ? Illud enim iam patet ex §. VIII, ubi etiam de occupatione rerum derelictarum egimus. Istud cognoscitur ex §. V, circa finem , ubi differuimus de occupatione , quae fit , interuenientibus aliis. Hoc denique constat ex iis , quae §. X, de effectu occupationis , et §. XIII, ac XIII, de occupatione sine pacto iusta , exposuimus. Praetermittimus iam quaestiones alias plures ; in primis quae*  
*de in-*

*de iure et officio arbitrorum* potuissent excitari. In praefens autem praecipuum controuersiae caput in eo uertatur: *an illi plures arbitri, qui commemorantur a Plutarcho, recte pronuntiarint pro Andriis, et ad dominium urbis uacuae acquirendum suffecerit symbolica illa occupatio per hastam: an uero Chalcidensis explorator maius ius corporali occupatione ciuibus suis acquisiuerit?* Hic, si Andrii et Chalcidenses praesumantur tanquam liberi populi, et nullo praeuio pacto inuicem obligati, uenisse, aut suo nomine alios misisse ad occupandam urbem uacua; dubium non est, naturali ratione, illa symbolica occupatione per proiectam hastam nihil iuris Andriis prae Chalcidensibus in urbem uacua fuisse acquisitum; propter rationes, quas §. V, VI, VIII, et XV, exposuimus. Hinc et recte scripsit Pufendorfius, ubi hanc historiam commemorat, *l. c. Same iaculum occupandae rei immobili non idoneum uidetur instrumentum; cum multa iaculo possimus tangere, ad quae corpore nunquam licet accedere.* Quibus uerbis et Hertius suum addidit calculum. *Nec propterea, inquit, obfessa urbs est hostis, quod multa millia globorum in eam immiserit.* At enim uero, Graeci singulari nexu erant coniuncti; nec solum communibus sacris, sed etiam communi Amphictyonum concilio, utebantur; cuius sententia et communibus stabant legibus, adeo, ut per huiusmodi leges, u. g. etiam tunc, cum armis inuicem concertarent, non liceret Graecis Graecos captos libertate priuare, eosque in seruitutem redigere; cum tamen tali iure atque consuetudine aduersus barbaros uterentur. Quapropter fieri potuit, ut per leges Graeciae communes etiam *symbolicae occupationi* singulare ius, quod ipsa per solam naturam non habet, inter Graecos fuerit attributum; quo in casu, pro illo instituto, in occupanda Acantho potiores partes Andriorum fuissent iudicandae. Verum, cum de tali instituto nihil nobis hucusque in ueterum monumentis occurrerit; neque ex hoc capite quicquam certi in re

incerta determinare licebit. Nihilominus tamen nobis acquif-  
fimum et iuri conuenientiffimum futurum uideretur, fi  
commune ius et commune dominium in occupatam urbem, An-  
driis atque Chalcidensibus ab arbitris fuiffet adiudicatum: non  
ideo quidem, quia sine certo instituto et pacto *symbolicam* An-  
driorum *occupationem* per fe fufficientem fuiffe putemus, ut  
in dominii communionem admitterentur; quam rem fatis  
fupra declarauimus; fed ob pactorum fidem. Etenim, fi  
rem diligentius penfitemus, omnium ueriffimillimum eft, An-  
drios et Chalcidenses omnino eo confilio, mutuoque confenfu,  
fimul egressos fuiffe, aut emisiffe exploratores, ut urbem  
uacuam communi iure occuparent, tenerentque. Quae ratio  
etiam exinde confirmatur, quia, teste Plutarcho, hi duo populi  
coniuncta manu in Thraciam uenerant, et paullo ante Sanen,  
urbem, itidem communi iure occuparant. Igitur calliditas An-  
drii exploratoris fidei pactorum nihil praedudicare debuiffet.  
Eadem fententia eft Ioh. Barbeyracii, in *Comment. ad Pufend.*  
*l. c.* Cetera ipfi difputationi referuamus. Ante uero, quam  
finiamus, duo adhuc monenda uidentur. Primum, nos in tra-  
ctando hoc argumento data opera abftinuiſſe ab hiftoria pri-  
maeuae communionis, uel primaeuae proprietatis; quia ea doctri-  
na, quae tot tricus iam eft inuoluta, ſuperfedere poſſumus: ad-  
eoque nos maluimus ex contemplatione naturae rerum demon-  
ſtrare, occupationem eſſe modum acquirendi dominii rectae  
rationi maxime conuenientem; quam ex incerta *hypotheſi*  
huic argumento praefidium arceſſere. Deinde monendum eſt,  
auctorem *Lectionum Iuris contractarum eſſe anonymum*;  
non Iuſtinianum Auguſtinum, uti *ſupra*, §. VIII, uerſ. 19,  
*plag. C. 2*, ex feſtinatione et errore ſcriptum. Integer titulus  
libri, Franequ. A. 1678 excuſi, eſt: *Lectiones Iuris con-*  
*tractae ad Inſtitutiones et Pandectas Iuſtiniani Auguſti.*  
Locus extat ad Tit. uti citatur, p. 65, n. 32. Quo  
Catone interea ſimus contenti.





Österreichische Nationalbibliothek



+Z161327705



